DE ROMANORUM PIACULIS.

S. P. C. TROMP. S. J.

DE ROMANORUM PIACULIS.

DE ROMANORUM PIACULIS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE, QUOD ANNUENTE SUMMO NUMINE EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI J. K. A. WERTHEIM SALOMONSON, MED. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

SEBASTIANUS PETRUS CORNELIS TROMP. S.J.

UBBERGENSIS.

DIE XXVII MENSIS OCTOBRIS A. MCMXXI HORA III

— IN AULA UNIVERSITATIS. —

LUGDUNI BATAVORUM — APUD G. F. THÉONVILLE

MCMXXI

PIAE PARENTUM MEMORIAE.

Studiis academicis iam finem facturus, clarissimis meis magistris, quibus quam multum in antiquis litteris addiscendis debeam probe scio, dignas gratias palam proferre decet, ne illis meriti honoris testificatio, mihi acceptorum bonorum recordatio deesse videatur.

Tibi praesertim, vir clarissime Boissevain, in cuius praelectionibus aciem et acumen ingenii, perspicuam docendi rationem semper sum admiratus, imprimis gratias agendum est pro benevolentia, patientia, sedulitate indefessa, consiliis sapientissimis, quibus hanc meam elucubrationem es prosecutus, quam ex vespertinis illis sermonibus intra privatos tuos parietes primam suam duxisse originem libenter profiteor.

Magnas etiam tibi gratias habeo, vir clarissime Kuiper, non modo quod dux peritissimus et magister benignissimus in litteris Graecis per omne studiorum curriculum exstitisti, sed in primis grata recordor mente et recordabor, te lamentabili saeviente bello ceteris deficientibus commilitonibus, per totum annum in mei solius institutionem ingenii vires, doctrinae copias, et veluti paternos affectus constanter contulisse.

Utinam hic quoque tibi, optimo meo magistro Beck, vivo gratias agere liceret! Quem quoniam mortali vita iam defunctum coram alloqui non possumus, reliquum est, ut quae ad piam tuam memoriam in funere sum locutus, hic paucis repetam. Vere amicus fuisti studiosis, exemplar laboris et diligentiae. Verum in terra semper quaesivisti; faxit Deus, ut aeterno Veritatis Fonte perpetuo fruaris.

Neque hoc loco te praetermiserim, vir clarissime Six, cuius praelectiones grata mente semper recordor. Quos labores per

quartam saeculi partem ad promovendam artium disciplinam discipulosque erudiendos feliciter expendisti, eosdem diu continuare tibi liceat.

Tuas vero philosophiae scholas, clarissime de Boer, quas initio cursus academici de Aristotele habuisti, haud facile ingrata delebit oblivio.

Tibi autem, vir clarissime Muller, quem magistrum habere mihi non contigit, pro benevolentia et humanitate accepta debitas gratias rependo.

Scribebam Velpis apud Grave in Valle B. M. V., anno Dmni 1920.

PRAEFATIO.

Rerum sacrarum studia, quae nullo non tempore viros, antiquitatis peritos, mirum in modum delectaverunt, hac potissimum aetate vel magis quam olim doctorum animos videntur allicere.

Neque est cur id magnopere miremur.

Nihil profecto ad populi gentisque cuiusvis mentem atque indolem intime perspiciendam utilius quam sacrorum rituum et publicae privataeque religionis diligentissima inquisitio atque cognitio.

Neque sane quidquam antiquorum populorum animos vehementius commovebat, quam ea omnia, quae angusta huius mortalis vitae spatia excedere, humanumque genus coniungere cum supremo illo Numine existimabant, quod omnes ipsa natura duce et colebant et verebantur, cuius iram deprecari et gratiam sibi comparare studebant.

Quod cum in antiquis gentibus omnibus, tum vero in populo Romano potissimum cernitur. Neque enim facile ullam inveneris nationem, quae, quidquid ad deos deorumque cultum pertineret, diligentius atque etiam scrupulosius tractaverit. Saepius ipsi Romanorum scriptores affirmant ad totum terrarum orbem Romano imperio subiciendum, ad tot tantasque victorias de immanissimis hostibus reportandas, nihil plus contulisse, quam singularem diligentiam et assiduitatem, qua di tam patrii quam peregrini perpetuo colerentur.

Quae cum ita sint, in Romana sacrificia accuratius inquisiturus haud inutile opus suscipere mihi videor, cum in hac parte praesertim permulta investiganda supersint.

Cum autem haec materia tam late pateat, ut unius libri ambitum atque unius etiam hominis vires longe excedere videatur, eam solam partem tractandam suscepi, quae ad piacula, apud Romanos frequentissima, pertinet.

Neque tamen vel hanc partem totam mihi vindico. Praecidi enim omnia quae manifesto non Romanam sed Graecam originem prae se ferunt.

Accedit quod et ab aliarum religionum comparatione, quamquam eam non penitus neglexi, generatim tamen mihi abstinendum putavi. Etsi enim haec disciplina comparativa sua utilitate non careat, pleraque tamen in ea, praesertim sacrificiorum vim atque notionem spectantia, incertiora adhuc existimo, quam ut sine errandi periculo adhiberi possint.

Romanos igitur ritus ex Romanis institutis moribusque potissimum interpretari conabor.

Lustrationes vero et procurationes prodigiorum, quippe quae saepe cum piaculis arcte connectantur, breviter attigi; procurationes, quod piaculis maxime sunt propinquae, lustrationes, quod eo quo a piaculis discrepant horum natura clarius illustratur.

CAPUT PRIMUM.

DE VOCIS PIACULI VI ATQUE SIGNIFICATIONE.

Bouché-Leclercq, ubi de vocabulis agit, quibus veteres varios ritus sacros enuntiare solent [1]), qui sive ad maculas delendas, sive ad deos placandos, sive ad poenas debitas solvendas pertinent, in hunc modum de Romanis loquitur: „*La terminologie latine, moins abondante que la grecque, n'est pas plus précise. L'être impur est 'impius', mais la souillure attachée à sa personne ('piaculum') est considérée comme de nature morale: c'est un péché ('piaculum commissum') volontaire ou involontaire, qui doit être effacé par une offrande ou sacrifice expiatoire ('piaculum'). Dans les trois acceptations de ce mot, le sens primitif de purification symbolique* [2]), *sans être absent, est rélégué au second plan et n'apparaît pas plus nettement dans les termes plus modernes de 'piatio', 'expiatio', qui suggèrent toujours l'idée d'une expiation proprement dite, d'une pénalité, que subit ou s'inflige l''impius'. L'idée de purification agissant par le dehors, pour ainsi dire mécaniquement, et pouvant ou même devant être administrée par une personne étrangère — cette idée, dis-je, s'est refugiée dans le mot 'lustrare' et ses dérivés, 'lustratio', 'lustrum', 'lustramen', 'lustramentum', avec les adjectifs 'lustralis', 'lustricus', 'lustrificus'.*"

Contendit igitur vir doctissimus, sibi originem vocis *piandi* minime videri certam, naturalem autem et principalem significationem in notione *lustrandi* esse positam: paulatim

---

1) Daremberg-Saglio, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines* III p. 1405 sq. *i. v.* lustratio.

2) In annotatione haec addit: „*L'étymologie de 'pius' est très incertaine, et il est possible, qu'elle ne donne aucunement le sens de 'purifier'; mais ce sens est considéré comme premier par les anciens.*" Deinde verba affert Servii *ad Verg. Aen* I 378, IV 516, *Ecl.* VIII 82.

vero notionem illam adeo esse mutatam, ut lustratio ab expiatione distingueretur; postea vero notiones *lustrandi* et *piandi* ita inter se esse confusas, ut differentiae inter varios sacros ritus ex illis vix et ne vix quidem cognosci possint. Ipsius verba afferam: „*En somme, l'exégèse philologique ne permet pas d'asseoir sur tant de termes interchangeables une distinction nette entre la purification ou lustration proprement dite et l'expiation religieuse.*" Qua quidem opinione idem vir doctus eo adductus est, ut multa sacrificia, quae tum alibi, tum in actis fratrum arvalium *piacula* dicuntur, inter *lustrationes* numeraret.

Quare haud inutile fuerit, inquirere, quae prima vocis *piandi* vis atque significatio fuerit; qua porro ratione sensim mutata in aliam atque aliam transierit. Etenim videbimus notiones *purgandi* vel *luendi poenas* eas non esse habendas, in quibus vox *piandi* nata sit, sed prae aliis significationem *placandi* principalem ducendam esse et nativam.

1. PIUS.

In huius vocis natura perscrutanda, linguarum comparatione parum proficimus, cum linguarum periti minime inter se consentiant, nec variae sententiae, qua facilitate proponantur, eadem et comprobentur [1]). Quodsi omissa omni ratione linguistica, ex ipsis veterum scriptis, quae *pii* sit vis et significatio prima eruere lubet, iam statim concedendum est, significatione illa naturali et principali notari mutuam aliquam benevolentiam et caritatem; ut affinitas quaedam cum voce gothica *infeinan* minime sit reicienda. Mutuam autem dixi benevolentiam et caritatem, quia suapte natura *pius* rationem ad alterum pertinentem in sese continet, qua ratione mutata mutatur et pietas.

a. Pius ≐ reverens erga parentes.

De hac significatione multa dicere iure videtur supervacaneum. Etenim *pium Aenean* revocare in mentem sufficiat. Hoc tantum addo, Apollinem quoque a Vergilio *Aen.* III 75

1) Walde, *Lat. Etym. Wörterb.*[2] p. 587.

propter matris amorem *pium* vocari *Arcitenentem*. Cf. quoque Cic. *de off.* III 90.

b. Pius = amore plenus erga fratres et sorores.

Cf. Ovid. *Met.* VIII 520, XI 329; Martial. II 41. 20.

c. Pius = fidelis in maritum et dominum.

Coniux fidelis vocatur *pia*, cf. Ovid. *Met.* XIII 301; Plaut. *Amph.* 1086. Quod de coniuge diximus, ad servum fidelem quoque pertinet, cf. Ovid. *Met.* IV 551. Sed et legiones eandem ob causam *piae* praedicantur, quod dilucide demonstrant tituli, cf. Dessau III 1 p. 446 *legio I Adiutrix pia fidelis*, p. 448 *II Adiutrix pia fidelis*, p. 452 *V Macedonica pia fidelis*, p. 453 *VI Victrix pia fidelis*, p. 454 *VII Claudia pia fidelis*, p. 455 *VIII Augusta pia fidelis*, p. 456 *X Gemina pia fidelis*, *XI Claudia pia fidelis*, p. 457 *XIII Gemina pia fidelis*, p. 458 *XV Apollinaris pia fidelis*, p. 459 *XXII Primigenia pia fidelis*.

d. Pius = religiose venerans et amans deos.

Cf. Plaut. *Rud.* 26; Cic. *de leg.* II 15; *de nat. deor.* I 45 et 56; Vergil. *Georg.* III 513, *Aen.* I 603. *Piae* quoque vocantur manes beatorum in Elysio, teste Bentleio, qui multa scriptorum testimonia attulit ad Horat. *Carm.* III 4. 6.

e. Pius = amore et sollicitudine plenus erga liberos.

Pia mater: Ovid. *Met.* XIII 301; *Fast.* IV 555, VI 559.

Pius pater: Martial. IX 74; C. I. L. VI 1348, 1368, 1414, 1449 cet.

f. Pius = aequus benevolus clemens in subditos.

Cf. Claudian. *IV consul. Honor.* (VIII) 276, p. 117 Koch *sis pius in primis; nam cum vincamur in omni munere, sola deos aequat clementia nobis;* Marc. Aurel. in *vita Avid. Cass.* 11. 7. *non enim quidquam est, quod imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia; haec patrem tuum in primis Pii nomine ornavit; C. I. L.* VI 1200 *clementissimo [piissi]moque principi .... pro innumerabilibus pietatis eius beneficiis; C. I. L.* VI. 1208 *Antonine tua diceris arte pius.*

g. Pius = aequus et propitius mortalibus.

Di quoque ob aequitatem et benevolentiam *pii* dicuntur, Vergil. *Aen.* IV 382 *pia numina; Ciris* 219 *piis divis.* Ovidius *Met.* X 431 mitissimam matrem Cererem (cf. VI 118) *pii* nomine exornat. *Pii* et *piae* Di manes quoque nominantur teste Buecheler *Carm. Ep.* 837 et 1468. In titulis scriptum legimus: *C. I. L.* VI 363 *Iunoni Piae*, VI 3731 *Terrae matri deae piae et conservatrici meae.* Arnobius *adv. nat.* VII 4 deos gentium *pios beneficos mites* ex civium suorum more commemorat.

Sed et scriptores Christiani Deum verum *pii* nomine collaudant. Cf. Tertull. *de poen.* 8 (I 1353 M) *Deus scilicet, tam pater nemo, tam pius nemo*; Lactant. *D. I.* VI 10 (VI 667 M) *Deus enim quoniam pius est*; August. *C. D.* X 1. 3 (XLI 279 M) *ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius*; Dracont. *de Deo* II 683 *tu Deus . . . pius et clemens*, II 693 *plus pius quam iustus*, I 11 et II 609 *pia vota Dei.*

h. Pius = hospitalis.

Penatibus ob liberalitatem in hospites *pii* nomen imponit Martialis IV 64. 28 *Tam comi patet hospitalitate: credas Alcinoi pios Penates.*

i. Pius = amoenus iucundus gratus („lief").

Horat. *Od.* III 21. 4 *pia testa*; Martial. X 87. 2, XII 6. 5 *pia Roma*; Mart. Capell. VI 585, 191 G. *pium diem.*

k. Pie = benevole („liefdevol").

Cic. *de senect.* 81 *memoriam pie servare*; *pro Planc.* 98 *grate et pie facere*; Vict. *de Caes.* 39. 15 *pie admodum mansueteque.*

l. Pius = dis sacer.

Ex significatione illa vocis *pii*, quae notionem amoris erga deos in sese continet, tres aliae emanaverunt. Una est notio *sacri*, qua significatur rem aliquam peculiari modo dis vel deorum cultui esse addictam. Exempla sint:

pium far: Vergil. *Aen.* V 745; Horat. *Od.* III 23. 20; Tibull. III 4. 10; Arnob. *adv. nat.* VII 26.

pia vitta: Vergil. *Aen.* IV 637.

pii vates: Vergil. *Aen.* VI 662, IV 464 (= musis sacri).

pii luci: Horat. *Od.* III 4. 6 (= musis sacri).
pii sedes: Vergil. *Cul.* 38 et 374.
pia tura: Ovid. *Her.* VII 24, XXI. 7.

m. Pius = secundum ius divinum.

Altera notio est illa, qua notatur aliquid cum iure divino congruere. Illo sensu *bellum* a Romanis *pium* vocatur, cf. Liv. I 32. 12, VIII 6. 5, IX 8. 6, XLII 47. 8, eadem ratione et *arma* teste Liv. IX 1. 10. De belli iure conferas velim Liv. I 22. 4 *pie bellum indici posse* et I 32. 6 et 7 *iuste pieque legatus venio .... si ego iniuste impieque.* Quid exigatur ut bellum revera *pium* sit, bene explicat Cic. *de off.* I 36.

n. Pius = purus castus.

Tertia si grammaticis antiquis credimus, est *puritatis* notio. Cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* I 382 *pius potest esse et purus et innocens et omni carens scelere;* ad *Ecl.* VIII 82 *quid enim est pium nisi castum?* Non. Marcell. M 371 L 592 *pium castum.* Nonnumquam *manus* quoque *piae* dicuntur. Cf. Vergil. *Aen.* III 42, IV 517; Tibull. III 2. 16. Ad Vergil. *Aen.* III 42 Servius annotat *pias autem, propter penates de excidio liberatos,* ad IV 516 *ipsa Dido mola et piis manibus, id est puris, deos testatur.* Magis autem verisimile est principio illas manus *pias* esse nominatas, quibus ante sacrum peragendum rite lavatis, deinde supplicum more ad coelum tensis, Romanorum ritu arae erant tangendae, ideoque his ritibus quodam modo erant dis sacrae.

2. IMPIUS.

In voce *impii*, ratione habita contrarii, omnia quae de vocabulo *pii* exposuimus valere facile intelliges. Habes *impium*

in parentes Horat. *Epod.* III 1; Sueton. *Rhet.* 6; Senec. *H. F.* 966,

in affines Cic. *pro Quint.* 26,

in maritum et dominum Horat. *Od.* III 11. 31 *impiae sponsos potuere duro perdere ferro*; Curt. V 12. 13

vero notionem illam adeo esse mutatam, ut lustratio ab expiatione distingueretur; postea vero notiones *lustrandi* et *piandi* ita inter se esse confusas, ut differentiae inter varios sacros ritus ex illis vix et ne vix quidem cognosci possint. Ipsius verba afferam: „*En somme, l'exégèse philologique ne permet pas d'asseoir sur tant de termes interchangeables une distinction nette entre la purification ou lustration proprement dite et l'expiation religieuse.*" Qua quidem opinione idem vir doctus eo adductus est, ut multa sacrificia, quae tum alibi, tum in actis fratrum arvalium *piacula* dicuntur, inter *lustrationes* numeraret.

Quare haud inutile fuerit, inquirere, quae prima vocis *piandi* vis atque significatio fuerit; qua porro ratione sensim mutata in aliam atque aliam transierit. Etenim videbimus notiones *purgandi* vel *luendi poenas* eas non esse habendas, in quibus vox *piandi* nata sit, sed prae aliis significationem *placandi* principalem ducendam esse et nativam.

1. PIUS.

In huius vocis natura perscrutanda, linguarum comparatione parum proficimus, cum linguarum periti minime inter se consentiant, nec variae sententiae, qua facilitate proponantur, eadem et comprobentur [1]). Quodsi omissa omni ratione linguistica, ex ipsis veterum scriptis, quae *pii* sit vis et significatio prima eruere lubet, iam statim concedendum est, significatione illa naturali et principali notari mutuam aliquam benevolentiam et caritatem; ut affinitas quaedam cum voce gothica *infeinan* minime sit reicienda. Mutuam autem dixi benevolentiam et caritatem, quia suapte natura *pius* rationem ad alterum pertinentem in sese continet, qua ratione mutata mutatur et pietas.

a. P i u s ≐ r e v e r e n s   e r g a   p a r e n t e s.

De hac significatione multa dicere iure videtur supervacaneum. Etenim *pium Aenean* revocare in mentem sufficiat. Hoc tantum addo, Apollinem quoque a Vergilio *Aen.* III 75

---

1) Walde, *Lat. Etym. Wörterb.*² p. 587.

propter matris amorem *pium* vocari *Arcitenentem*. Cf. quoque Cic. *de off.* III 90.

b. Pius = amore plenus erga fratres et sorores.

Cf. Ovid. *Met.* VIII 520, XI 329; Martial. II 41. 20.

c. Pius = fidelis in maritum et dominum.

Coniux fidelis vocatur *pia*, cf. Ovid. *Met.* XIII 301; Plaut. *Amph.* 1086. Quod de coniuge diximus, ad servum fidelem quoque pertinet, cf. Ovid. *Met.* IV 551. Sed et legiones eandem ob causam *piae* praedicantur, quod dilucide demonstrant tituli, cf. Dessau III 1 p. 446 *legio I Adiutrix pia fidelis*, p. 448 *II Adiutrix pia fidelis*, p. 452 *V Macedonica pia fidelis*, p. 453 *VI Victrix pia fidelis*, p. 454 *VII Claudia pia fidelis*, p. 455 *VIII Augusta pia fidelis*, p. 456 *X Gemina pia fidelis*, *XI Claudia pia fidelis*, p. 457 *XIII Gemina pia fidelis*, p. 458 *XV Apollinaris pia fidelis*, p. 459 *XXII Primigenia pia fidelis*.

d. Pius = religiose venerans et amans deos.

Cf. Plaut. *Rud.* 26; Cic. *de leg.* II 15; *de nat. deor.* I 45 et 56; Vergil. *Georg.* III 513, *Aen.* I 603. *Piae* quoque vocantur manes beatorum in Elysio, teste Bentleio, qui multa scriptorum testimonia attulit ad Horat. *Carm.* III 4. 6.

e. Pius = amore et sollicitudine plenus erga liberos.

Pia mater: Ovid. *Met.* XIII 301; *Fast.* IV 555, VI 559.

Pius pater: Martial. IX 74; C. I. L. VI 1348, 1368, 1414, 1449 cet.

f. Pius = aequus benevolus clemens in subditos.

Cf. Claudian. *IV consul. Honor.* (VIII) 276, p. 117 Koch *sis pius in primis; nam cum vincamur in omni munere, sola deos aequat clementia nobis*; Marc. Aurel. in *vita Avid. Cass.* 11. 7. *non enim quidquam est, quod imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia; haec patrem tuum in primis Pii nomine ornavit; C. I. L.* VI 1200 *clementissimo [piissi]moque principi .... pro innumerabilibus pietatis eius beneficiis; C. I. L.* VI. 1208 *Antonine tua diceris arte pius.*

g. Pius = aequus et propitius mortalibus.

Di quoque ob aequitatem et benevolentiam *pii* dicuntur, Vergil. *Aen.* IV 382 *pia numina; Ciris* 219 *piis divis.* Ovidius *Met.* X 431 mitissimam matrem Cererem (cf. VI 118) *pii* nomine exornat. *Pii* et *piae* Di manes quoque nominantur teste Buecheler *Carm. Ep.* 837 et 1468. In titulis scriptum legimus: *C. I. L.* VI 363 *Iunoni Piae*, VI 3731 *Terrae matri deae piae et conservatrici meae.* Arnobius *adv. nat.* VII 4 deos gentium *pios beneficos mites* ex civium suorum more commemorat.

Sed et scriptores Christiani Deum verum *pii* nomine collaudant. Cf. Tertull. *de poen.* 8 (I 1353 M) *Deus scilicet, tam pater nemo, tam pius nemo*; Lactant. *D. I.* VI 10 (VI 667 M) *Deus enim quoniam pius est*; August. *C. D.* X 1. 3 (XLI 279 M) *ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius*; Dracont. *de Deo* II 683 *tu Deus . . . pius et clemens*, II 693 *plus pius quam iustus*, I 11 et II 609 *pia vota Dei.*

h. Pius = hospitalis.

Penatibus ob liberalitatem in hospites *pii* nomen imponit Martialis IV 64. 28 *Tam comi patet hospitalitate: credas Alcinoi pios Penates.*

i. Pius = amoenus iucundus gratus („lief").

Horat. *Od.* III 21. 4 *pia testa*; Martial. X 87. 2, XII 6. 5 *pia Roma*; Mart. Capell. VI 585, 191 G. *pium diem.*

k. Pie = benevole („liefdevol").

Cic. *de senect.* 81 *memoriam pie servare*; *pro Planc.* 98 *grate et pie facere*; Vict. *de Caes.* 39. 15 *pie admodum mansueteque.*

l. Pius = dis sacer.

Ex significatione illa vocis *pii*, quae notionem amoris erga deos in sese continet, tres aliae emanaverunt. Una est notio *sacri*, qua significatur rem aliquam peculiari modo dis vel deorum cultui esse addictam. Exempla sint:

pium far: Vergil. *Aen.* V 745; Horat. *Od.* III 23. 20; Tibull. III 4. 10; Arnob. *adv. nat.* VII 26.

pia vitta: Vergil. *Aen.* IV 637.

pii vates: Vergil. *Aen.* VI 662, IV 464 (= musis sacri).

pii luci: Horat. *Od.* III 4. 6 (= musis sacri).
pii sedes: Vergil. *Cul.* 38 et 374.
pia tura: Ovid. *Her.* VII 24, XXI. 7.

m. Pius = secundum ius divinum.

Altera notio est illa, qua notatur aliquid cum iure divino congruere. Illo sensu *bellum* a Romanis *pium* vocatur, cf. Liv. I 32. 12, VIII 6. 5, IX 8. 6, XLII 47. 8, eadem ratione et *arma* teste Liv. IX 1. 10. De belli iure conferas velim Liv. I 22. 4 *pie bellum indici posse* et I 32. 6 et 7 *iuste pieque legatus venio.... si ego iniuste impieque.* Quid exigatur ut bellum revera *pium* sit, bene explicat Cic. *de off.* I 36.

n. Pius = purus castus.

Tertia si grammaticis antiquis credimus, est *puritatis* notio. Cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* I 382 *pius potest esse et purus et innocens et omni carens scelere;* ad *Ecl.* VIII 82 *quid enim est pium nisi castum?* Non. Marcell. M 371 L 592 *pium castum.* Nonnumquam *manus* quoque *piae* dicuntur. Cf. Vergil. *Aen.* III 42, IV 517; Tibull. III 2. 16. Ad Vergil. *Aen.* III 42 Servius annotat *pias autem, propter penates de excidio liberatos,* ad IV 516 *ipsa Dido mola et piis manibus, id est puris, deos testatur.* Magis autem verisimile est principio illas manus *pias* esse nominatas, quibus ante sacrum peragendum rite lavatis, deinde supplicum more ad coelum tensis, Romanorum ritu arae erant tangendae, ideoque his ritibus quodam modo erant dis sacrae.

2. IMPIUS.

In voce *impii,* ratione habita contrarii, omnia quae de vocabulo *pii* exposuimus valere facile intelliges. Habes *impium*

in parentes Horat. *Epod.* III 1; Sueton. *Rhet.* 6; Senec. *H. F.* 966,

in affines Cic. *pro Quint.* 26,

in maritum et dominum Horat. *Od.* III 11. 31 *impiae sponsos potuere duro perdere ferro*; Curt. V 12. 13

impie deserere regem. Ob notam fidem Punicam *impia Carthago* quoque habetur ab Horatio *Od.* IV 8. 17,

in deos Cic. *de nat. deor.* II 44; *de leg.* II 15 et 22; Horat. *Od.* III 4. 42 *impios Titanas*; Tibull. I 3. 52 *dicta impia in deos.* Tartara, quae quidem domus sunt impiorum, a Vergilio *Aen.* V 733, VI 543 *impia* vocari non est quod mireris;

de parentibus dictum in liberos Dracont. LIV 177 Baehr. *P. L. M.* V p. 198 *impia Colchis.*

Quod magis est mirandum, etiam Deos ob iniquitatem et saevitiam nonnumquam *impios* videmus appellatos. Vergil. *Georg.* I 511 *impius Mars*; Calpurn. *Ecl.* I 46 *impia Bellona*, Dracont. LIV 436 Baehr. *P. L. M.* V p. 208 *impie rex Erebi.*

Tacitus quoque *Ann.* XVI 31 magica numina *deos impios* vocat. Cur Horatius *Od.* II 17. 22 Saturno *impii* nomen tribuere audeat, Servius ad Vergil. *Aen.* IV 92 et Propertius IV 1. 84 [1]) plane enucleant. *Impia pensa* Clothonis in *consol. ad Liv.* 240 Baehr. *P. L. M.* I p. 112 non est quod Heinsius emendet, et *invida* legat.

Ut *pius*, significatione sensim mutata, pro *blando* ponitur, sic et voci *impii* paulatim vis *saevi* et *immitis* subicitur. Cf. Vergil. *Ecl.* I 70 *impius miles*; Horat. *Epod.* V 13 *impia mollire Thracum pectora*, XVI 9 *impia aetas*; Ovid. *Amor.* I 8. 104 *impia sub dulci melle venena.*

3. PIETAS.

Uti *pius* sic et *pietas* rationem habet amoris in alterum. Cic. *de inv.* II 66 *pietatem, quae erga patriam aut parentes aut alios sanguine coniunctos officium conservare moneat*, II 161 *pietas per quam sanguine coniunctis, patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus*; *Somn.* 3. 8 = *de re publ.* VI 16 *iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est.*

---

1) Serv. *l. l. scit enim Saturni stellam nocendi facultatem habere* Propert. *l. l. grave Saturni sidus in omne caput.*

a. Pietas = parentibus debitus amor et reverentia.

Cf. Terent. *Andr.* 869; Cic. *Part.* 78 *iustitia... erga parentes: pietas; pro Planc.* 80 *quid est pietas nisi voluntas grata in parentes?* Plin. *Epist.* X 1. 1. De *pietate* erga matrem cf. Cic. *Tusc. Disp.* I 113 et Ovid. *Met.* VI 503, de *pietate* erga patrem Vergil. *Aen.* III 480, VI 688, IX 294; Liv. XXXIX 47. 10; Ovid. *Met.* VII 169 et 336, X 366, XIV 109.

b. Pietas = fraternus animus.

Cf. Ovid. *Met.* IX 460 et XIII 663. Paululum latius *pietas* extenditur Cic. *pro Quinct.* 26 *pietate propinquitas colitur.* Vide etiam Cic. *ad famil.* I 1 et VI 20. 2 *summa pietate te desiderant* (= „liefdevolle verwachting").

c. Pietas = fidelitas in coniugem et dominum.

De coniugum *pietate* cf. Ovid. *Met.* VI 635, XV 549; *Trist.* I 3. 86.

De *pietate* in dominum cf. Ovid. *Met.* I 204.

d. Pietas = sollicitudo et amor in liberos.

Cf. Ovid. *Met.* VI 629, VIII 508, IX 679, XII 29; Tacit. *Agric.* 7; Dracont. LIV 104 et 110 Baehr. *P. L. M.* V 164.

e. Pietas = amor et reverentia erga deos.

Cf. Cic. *de nat. deor.* I 3 et 4; *de fin.* III 73; *de leg.* II 25; Vergil. *Aen.* I 10 et 253, II 430 et 690, V 783.

f. Pietas = benevolentia et clementia in subditos.

Cf. *C. I. L.* VI 1089 et 1200 *pro innumerabilibus pietatis eius beneficiis.* Paulatim vero haec significatio ita in amplius domicilium migrat, ut iam omnis misericordia *pietatis* nomine exornetur, cf. Vergil. *Aen.* IX 493 *figite me, si qua est pietas;* Ovid. *Met.* XV 109 et 173; Arnob. *adv. nat.* VII 9 *interroga pietatem.*

g. Pietas = aequitas et misericordia deorum.

Non hominibus tantum, immo et dis *pietatem* tribuunt Romani, cf. Vergil. *Aen.* II 536 *di, si qua est coelo pietas, quae talia curet,* V 688 *si quid pietas antiqua labores*

respicit humanos; Sil. Ital. VI 410 *si qua deis pietas.* In *Precatione Terrae* 16 Baehr. *P. L. M.* I 139 dea Tellus laudatur: *pietate .... vicisti divum numina.* Quae locutio scriptoribus quoque christianis minime est inusitata, teste Lact. *D. I.* IV 17 (VI 501 M) *volens enim vitae ac saluti pro aeterna sua pietate consulere,* VI 24 (VI 723 M) *Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit homini portum salutis,* et August. *C. D.* X 1, 3 (XLI 279 M) *pietas quoque proprie Dei cultus intellegi solet, quam Graeci εὐσέβειαν vocant. Haec tamen et erga parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiae frequentatur: quod ideo arbitror evenisse, quia haec fieri praecipue mandat Deus eaque sibi vel pro sacrificiis vel prae sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur 'pius', quem sane Graeci nullo suo sermonis usu εὐσεβῆ vocant,* et Dracont. *de Deo* I 20, II 360, 492, 695, III 185.

4. IMPIETAS.

Quamquam *impietatis* vocabuli vis atque significatio minus late patet et plerumque ad deorum officia restringitur, tamen quaedam notionis discrimina digna sunt quae annotentur.

Matris in liberos. Vergil. *Cul.* 249 *supero ... impietate fera vecordem Colchida matrem*; Ovid. *Met.* VIII 477.

Hominum in deos (ἀσέβεια). Cic. *de fin.* IV 66; *de leg.* I 40, unde significatio latius sese extendit ut idem valeat ac *scelus, nefas.*

Adversus principem aequivalet *laesae maiestati.* Tac. *Ann.* VI 47; Plin. *Epist.* VII 33. 7; *Paneg.* 33. 3.

Crudelitati similis est *impietas* apud Tertullianum *de spect.* 19 (I 726 M) *si saevitiam, si impietatem, si feritatem permissam nobis contendere possumus, eamus in amphitheatrum.*

5. PIARE ET EXPIARE.

Grammatici veteres in verbis *piandi* et *expiandi* definiendis et explicandis nonnulla annotaverunt, quae quid valeant

postea videbimus. Prius in unum colligere expediet. Serv. ad Vergil. *Ecl.* VIII 82 *quid enim est pium nisi castum? quoniam piare est p r o p i t i a r e, quod accidere non potest, nisi caste inservitum erit rebus sacris,* ad *Aen.* I 378 *sane pius potest esse et purus et innocens et omni carens scelere; piare enim antiqui p u r g a r e dicebant: inde etiam piamina, quibus expurgant homines, et qui purgati non sunt impii,* ad *Aen.* II 140 *piabunt: expiabunt: et τῶν μέσων est, nam plerumque i m p i a r e significat,* ad *Aen.* III 264 *expiatorios, unde: Dii p r o h i b e t e m i n a s,* ad *Aen.* VI 379 *ossa piabunt: p l a c a b u n t, expiabunt.* Non. Marcell. M 151, L 221: *piem, c o l a m, c u s t o d i a m. Plautus Asinaria* (*506*):

'ubi piem pietatem, si istoc more moratam tibi
postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis?'

M 370 L 588 *piare dicitur i m p i a r e, c o n t a m i n a r e. Vergilius lib. VI* (*569*):

'distulit in seram commissa piacula mortem.'

Piare, expiare, p u r e f a c e r e. Vergilius lib. VI (*153*):

'duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto.'

Piare, c o n d e r e, c o n s e c r a r e. Vergilius lib. VI (*379*):

'prodigiis acti caelestibus ossa piabunt.'

Fest. M 213 L 232 *piari eos velut proprio verbo, ait Verrius, qui parum sint animati: cum mentis suae non sunt, per quaedam verba liberantur incommodo.*

Haec grammaticorum testimonia cum attente et diligenter consideramus, illud tantum certi ex eorum dictis confici potest, originem verbi *piandi* Romanis minime fuisse perspectam. Servius, ni fallor, in contrarias trahitur partes, cum haesitet utrum significationem *placandi* an *purgandi* naturalem declaret et principalem. Quod si ad *Aen.* I 382, allata voce *piaminis*, vocabulo *piandi* naturaliter *purgationis* vim inesse ostendere conatur, rationes quas affert parum valere existimo, cum vocem quoque *piaminis* dubiae esse

significationis certe constet (etenim tum *purgationem* tum *placationem* ostendit), et ipso Ovidio testante (cf. *Fast.* II 19) *piamen*, quod quidem *purgamen* significat, recentioris esse aetatis clare appareat.

Quae Nonius affert, aut nil novi continent, aut etiam falsa iure sunt habenda; *piare* enim minime idem valere ac *condere*, quis est qui nesciat?

Quod autem ad verba Verrii Flacci apud Festum attinet *piari eos velut proprio verbo, qui parum sint animati*, omnibus bene consideratis, utrum *piare* hoc loco vim *purgandi* an *sedandi et placandi animum* habeat diiudicare non audeo. De ipso ritu postea plura dicturus sum.

Quae cum ita sint, a placitis grammaticorum longe recedamus oportet; videndum igitur quomodo voces *pii* et *piandi* connexae inter se et iugatae sint. Cum autem (*ex*)*piare* cum *pio* cohaereat ut (*ex*)*caecare* cum *caeco* et *propitiare* cum *propitio*, nativa vero vis vocis *pii*, ut supra demonstravimus, rationem *amoris* in se contineat et *bonitatis*, eadem ratio in verbo *piandi* insit oportet. Significatio erga nativa et primaria verbi est:

1. piare = pium reddere = amorem reconciliare = placare.

2. piare = laesionem sanare = iets goed maken, etwas gut machen, to make good again.

Ex hisce duabus significationibus sensim aliae atque aliae emanavere. Quod et ipsis rebus luculenter confirmatur, ut exemplis hic afferendis, mox apparebit.

a. Piare, expiare = placare, propitiare.

Cic. *in Verr.* IV 111 *Cereris numen.... expiare volebant; de leg.* II 63 *solum frugibus expiatum* (= terra frugibus placata).

Horat. *Epist.* II 1. 143 *Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.*

Liv. IX 1. 3 *expiatum est, quidquid .... irarum in nos coelestium fuit.*

Ovid. *Art. Am.* I 649 *monstratque piari .... sanguine posse Iovem; Fast.* I 318 *Ianus agonali luce piandus erit.*

Propert. IV 18. 17 *matris iram natorum caede piavit amor.*

Val. Max. VII 2. 5 *ut haberent di cuius capite, si quid irae conceperant, expiarent.*

Petron. *Sat.* 105 *ut tutela navis expiaretur* (postea eodem sensu *placare*).

Senec. *Oct.* 859 *iram expiabit, prima quae meruit, meam.*

Fest. M 213 L 234 *piandi propitiandique causa immolantur.*

Justin. XXVI 2. 2 *sperantesque deorum minas expiari caede suorum posse.*

Claudian. *in Eutrop.* I (XVIII) 19, p. 53 Koch *quae tantas expiet iras victima?*

Notatu dignissimum est illud quoque Propertii IV 9. 19 *inde coronatas ubi ture piaveris aras.* Quid hoc loco sibi velit *piare* clare nos docet Ovidius *Met.* XV 574 *placat odoratis herbosas ignibus aras*, necnon locutio quaedam Vergiliana (*Aen.* VII 764 et IX 585) *pinguis et placabilis ara* [1]. Transnominatio (μετωνυμία) est: Ara *piatur* vel *placatur*, si sacrificiis in ara factis, di *piantur* vel *placantur*. Transnominationes supra allatae mire illustrantur verbis hisce Ovidianis (*Met.* VII 589) *quotiens pro coniuge coniunx, pro gnato genitor . . . non exoratis animam finivit in aris.* Transnominatio quoque illud est Propertii I 1. 19 *sacra piare focis.* Valent haec verba idem ac *deos impios sacris faciendis placare* [2].

Nonnumquam verbum *piandi* apud scriptores veteres deprehendimus, cum de manibus agitur placandis, cf. Cic. *in Pis.* 16 *poenas expetistis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis* et Tacit. *Hist.* III 25 *piatos patris manes.* Idem valet *piare manes* ac *manes placare*, quod scriptum legimus Liv. I 20. 7; Ovid. *Fast.* II 533, 570; Lucan. II 173, VIII 857; Val. Flacc. *Argon.* III 408. Etiam hoc loco variae notandae sunt transnominationes:

---

1) Cf. quoque Claudian. *in Eutrop.* I (XVIII) 20, p. 53 Koch *quo diras iugulo placabimus aras?*

2) *Dii impii* sunt *numina magica*, cf. Tac. *Ann.* XVI 31. Minus recte hunc locum explicat P. J. Enk, *ad Propert. carm. comm. critic.*, p. 8.

Vergil. *Aen.* VI 379 *ossa piare.*

Propert. V 7. 34 *busta piare,*

Ovid. *Met.* XIII 515 *busta piare; Fast.* II 33 *placatis sepulcris*, V 426 *busta piare.*

Statius *Theb.* VII 92 *cineres placare.*

Omnes has locutiones nil aliud valere nisi *placare manes*, am non est quod fusius explicem.

Saepe apud veteres scriptum legimus *prodigia ostenta sidera somnia piare, expiare*, similia. Quod ut recte intelligamus, haec tria praemitto:

Senec. *Oct.* 758 *ut expientur noctis et somni m i n a e.*

Senec. *Q. N.* II 38 (quo loco de prodigiorum procurationibus agitur) *idem tibi de expiationibus dico: effugiet pericula, si expiaverit praedictas divinitus m i n a s; at hoc quoque in fato est, ut expiet: ideo expiabit.*

Apul. *Met.* III 2 *m i n a s portentorum hostiis circumforaneis expiant.*

Tribus quos attuli locis attente consideratis, iam statim apparet locutionem *prodigia expiandi*, non esse nisi illam transnominationem, quam supra commemoravi: *prodigia cet. expiare* = *iram deorum prodigiis cet. manifestatam expiare, placare.* Saepissime vero verbum (*ex*)*piandi* hac significatione usurpatum legimus, ut patet hisce testimoniis:

Cic. *de div.* II 130 *quemadmodum ea* (*prodigia*) *procurentur atque expientur; de leg.* II 21 *fulgura atque obstita pianto.*

Liv. V 50. 5 *expiandae ... voces nocturnae*, XXIII 31. 15 *prodigia cum cura expiata*, 36. 10 *expianti ea* (*prodigia*), 39. 5 *expiata prodigia*, XXVIII 27. 16 *portentum quod nullis hostiis ... expiari possit*, XXX 38. 9 *cetera* (*prodigia*) *hostiis maioribus expiata*, XXXIV 55. 2 *expiando* (*prodigia*), XXXVI 37. 6 *prodigiis expiandis*, XXXIX 46. 5 *prodigii expiandi causa*, XL 59. 8 *ad ea* (*prodigia*) *expianda*, XLI 13. 3 *prodigium expiatum*, XLII 2. 6 *prodigiis expiandis.*

Jul. Obs. 2 *lapidum pluviae... expiatae*, 23 *prodigium... expiatum*, 39 *lacte ... pluit, hostiisque expiatum*, 47 (*bubo*) *cum piaretur*, 52 (*prodigium*) *expiatum.*

Ovid. *Heroid.* XIX 194 *est sacris illa* (*noctis imago*) *piata*

meis [1]); *Fast.* III 291 *ritum* (*fulminis*) *piandi*, 311 *fulmen piare.*

Phaedr. III 3. 11 *sed expiari* (*monstrum*) *posse maiore hostia.*

Val. Max. I 7. 3 *id* (*omen*)... *expiaturis.*

Plin. *N. H.* II 92 *terrificum sidus... non leviter piatum,* II 238 (*prodigia*) *piavit,* XI 55 *ostenta... saepe expiata magnis eventibus,* XV 57 *fulgurata piari non queunt facile.*

Petron. *Sat.* 104 *somnia expiavit* [1]).

Martial. XI 50. 8 *expiet... somnos* [1]).

Tac. *Ann.* XV 47 *sidus cometes... expiatum; Hist.* V 13 *prodigia quae... piare fas habet gens superstitioni obnoxia.*

Sueton. *Ner.* 36. 2 *ostenta... expiare*; *Galb.* 18. 5 *ad expiandum somnium.*

Sil. Ital. VIII 120 *ad visa* (*somni*) *pianda* [1]).

Amm. Marcell. XIX 12. 20 *portenta... quae quoniam non expiantur ut apud veteres, publice inaudita praetereunt.*

Arnob. *adv. nat.* V 1 *expiabis... capite fulgurita.*

b. Piare, expiare = colere.

Ex *placandi* significatione, vi vocis sensim mutata, notio *colendi* exoritur, sicut nonnumquam et ipsa vox *placandi* latius patens generalem *colendi* notionem complectitur; et ita quidem ut primaria vis *propitiandi* nonnunquam omnino absit, cf. Porph. ad Horat. *Od.* I 36. 1 *placare pro eo quod est 'gratiam referre' intelligendum.* Vocabulum quoque *piandi* aliquando vim habere *colendi*, iam paucis illustrabo exemplis.

Plaut. *Asin.* 506 *ubi piem pietatem?*

Propert. V 9. 25 *fontesque piandos* (= colendos venerabiles).

Sil. Ital. IV 819 *di patrii, quorum delubra piantur.*

Prudent. *Psychom.* 911 *virtutum gemmas componat sede piata* (= veneranda).

---

1) Quoad vim locutionis *somnium expiandi* cf. Tibull. III 4. 9 *omina noctis farre pio placant et saliente sale.*

c. **P i a r e, e x p i a r e = s a n a r e**[1]**, w e e r g o e d m a k e n.**

Cic. *Philipp.* V 40 *sed omnia mihi videntur deorum immortalium iudicio expiata, Sex. Pompeio reipublicae conservato; pro dom.* 132 *si quid tibi aut piandum aut instituendum fuisset religione domestica; de har. resp.* 11 *sed primum expiabo religionem aedium mearum; ad Att.* I 17. 7 *illa, quae violata, expiabuntur; de div.* I 10 *quod neglectum . . . expiatum est; de leg.* II 37 *imprudentiam consilio expiatam.*

Caes. *B. G.* V 52. 6 *expiato incommodo.*

Liv. I 14. 3 *expiarentur legationis iniuriae,* XXXVII 45. 7 *expiare errorem.*

Val. Max. I 7. 4 *quae res nisi attenta ludorum instauratione expiata esset.*

Arnob. *adv. nat.* IV 36 *quod nullis possit satisfactionibus expiari.*

Iam ex ipsa rerum natura consequitur, ut nonnumquam, praesertim cum de religionibus agatur, sanatio illa, quae *piandi* voce significatur, *sacrificiis* perficiatur vel aliis sacris ritibus; unde *sacrificii* notionem iam saepe verbo *piandi* subesse, facile intelligitur.

Cic. *de leg.* II 22 *sacrum commissum quod neque expiari poterit, impie commissum esto; quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.*

Liv. XXVIII 27. 6 *commissa . . . quae sine piaculis ingentibus expiari* (*non*) *possunt,* XXIX 20. 10 *relatum est de expiandis, quae . . . in templo Proserpinae tacta ac violata elataque inde essent,* XXXI 12. 5 *curam expiandae violationis eius templi,* XXXI 13. 1 *expiatis omnibus religionibus.*

Fest. M 347 L 470 *expiandi gratia aries m[actatur].*

Cum autem laeso iure divino, saepissime hoc ipso expiatio perficiatur, quod aut debitae poenae solvuntur, aut ipsum ius laesum vindicatur, aut impius poena afficitur, aut purgantur maculae, iam mirum non est, vocem *piandi* ab ipsa *sanationis* notione in aliam atque aliam abiisse; quae quidem

---

1) Quoad vim vocis *sanandi* cf. locutiones *sanare incommodum, sanare scelus, sanare causam,* ceteras.

significationes praecipuae sunt *luendi poenas*, *ulciscendi*, *puniendi*, *purgandi*.

d. Piare, expiare = poenas solvere, uitboeten.

Caes. *B. C.* I 7. 5 *superioris aetatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus docet.*

Vergil. *Aen.* II 140 *culpam hanc ... morte piabunt*, II 184 *effigiem statuere, nefas quae triste piaret.*

Horat. *Epod.* XVII 37 *poenas luam, paratus expiare.*

Val. Max. II 8. 3 *ut si quid religionis insolentia commisisset, poena expiaret*, VII 3 ext. 1 *occasionem ... expiandae religionis rapuit.*

Senec. *Med.* 615 *temerata iura piavit* (= het roekeloos overtreden); *Phoen.* 168 *scelus ulla expiari credidi poena.*

Tacit. *Hist.* IV 11 *malam potentiam servili supplicio expiavit.*

Plin. *Paneg.* XXXIII 3 *miseras voluptates unco et ignibus expiavit; Epist.* VIII 10. 1 *quem errorem magnis documentis expiavit.*

Sil. Ital. VII 545 *magna mercede piabunt erroris rabiem*, XI 83 *piaret tristia dicta ... et lueret verba impia leto.*

Quinct. *Decl. Maior.* XII 11 *commissum nefas devoto capite expiamus*, XVII 9 *serpentibus expianda feritas.*

Porphyr. in Horat. *Od.* I 28. 34 *nullo modo expiabis hoc scelus.*

Priap. LXXVII 7 Baehr. *P. L. M.* I p. 85 *expiare culpam.*

Min. Fel. *Oct.* 38. 7 *impietas expietur.*

Lactant. in Stat. *Theb.* XI 506 *expiabo parricidium fratris mea morte.*

Tertull. *de pud.* 19 (II 1071 M) *casu ... poenitentia expiato.*

Lactant. *D. I.* IV 27 (VI 533 M) *quod gravissimis persequentium poenis expiaretur.*

August. *C. D.* I 19 (XLI 33 M) *ita doluit, ut morte putaret expiandum.*

e. Piare, expiare = poenire, ulcisci.

Cic. *pro Mil.* 73 *cuius supplicio senatus solemnes religiones*

expiandas saepe censuit [1]; *in Pison.* 85 *tua scelera dii ... in nostros milites expiaverunt; in Verr.* I 8 *religiones ... expiandae et civium Romanorum cruciatus,* IV 111 *sacrorum vetustatem, fani religionem istius ... supplicio expiari volebant; de har. resp.* 35 *nomen ... populi Romani tanto scelere contaminavit, ut nulla re possit, nisi ipsius supplicio expiari.*

Caes. *B. G.* VIII 48. 8 *expiato suo dolore.*

[Sall.] *ad Caes.* 3 *sanguine sanguinem expiandum.*

Horat. *Od.* I 2. 19 *cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter?*

Propert. IV 3. 9 *Crassos clademque piate,* V 1. 50 *rura pianda,* V 9. 55 *metuenda lege piatur.*

Ovid. *Met.* VIII 483 *mors morte pianda est.*

Val. Max. I 1. 13 *pari vindicta parentum ac deorum violatio expianda est,* VII 2. 5 *animadvertit quo pacto iniuria imperatoris vindicari deberet, quemadmodum violata religio expianda foret.*

Plin. *N. H.* XXXIII 144 *quae omnia expiavit bellum.*

Senec. *Oed.* 247 *nunc expietur numinum imperio scelus.*

Stat. *Theb.* IX 60 *hunc morte piabo.*

Sil. Ital. VII 487 *patruique piabit idem ultor patrisque necem,* XIV 154 *casus* (i. e. cruciatus, quos erat perpessus) *piabat.*

Flor. I 6. 3 *clades ingentibus expiata victoriis.*

Iustin. VIII 2. 6 *quod orbis viribus expiari debuisset.*

Paul. M 66 L 57 *caput violatoris expiatur.*

Nazar. *in hon. Const.* 32, p. 237 Baehr. *spectaculum ... funeris expiaret.*

Auson. *Techn.* VIII 11, p. 161 Peiper *pias divum iniurias, nocticolor Styx.*

August. *de nupt. et concupisc.* II 43 (XLII 461 M) *peccati, quod ... expiatur in renascente; de nat. et grat.* 18. 20 (XLIV 256 M) *expianda esse peccata commissa.*

---

1) Notio *ultionis* abesse videtur in loco Ciceronis *de har. resp.* 11, de quo egimus pag. 16 sub c.

f. P i a r e, e x p i a r e = p u r g a r e.

Tertia quae ex notione *sanandi* (weer goed maken) effloruit significatio, ea est quam iniuria nonnulli nativam existimant et principalem *purgandi*. Vocabulum autem *pii*, quatenus εὐσέβειαν erga deos exhibet, plurimum attulisse ut illa significatio oriretur, nemo non videt. Quod quidem *piare* extendebatur in *purgandi* quoque notionem, effecit ut aliquando grammatici veteres *pium* idem naturaliter ac *purum* valuisse iniuria existimarent. Notandum tamen est, licet testimonia, quae sequantur, sub uno titulo ac capite *purgandi* redegerim, vim et valorem vocis *piandi* quod r e m attinet in exemplis afferendis valde inter se differre, prout de purgationibus, suffitionibus, lustrationibus, piaculis agatur. Suffitio enim et purgatio a maculis, lustrationes sive a noxiis externis sive a maculis, piacula ab offensa deorum liberant. Quae quidem omnia infra capite tertio fusius erunt probanda et explicanda. Apud scriptores Christianos verbum *piandi* vim habere multo sublimiorem, non est cur commemorem. Testimonia iam afferam.

Plaut. *Menaechm.* 291 *iube te piari de mea pecunia*, 517 *aut te piari iube; Most.* 465 *istos expiare ut possies.*

Varro *de l. l.* VI 30 *praetor ... piaculari hostia facta piatur; de r. r.* II 4. 16 *ut insanum quem putat, ut pietur.*

Cic. *pro Cluent.* 193 *expiandum ... locum; pro Rabir.* 11 *expiandum forum*; *pro Sex. Rosc.* 71 *mare ... quo cetera quae violata sunt, expiari putantur; in Verr.* IV 26 *locum ... expiastis; Philipp.* I 30 *expiato foro; de leg.* I 40 *suffimentis expiati.*

Horat. *Od.* II 1. 4 *arma nondum expiatis uncta cruoribus.*

Liv. I 26. 12 *ut filium expiaret pecunia publica*, V 50. 2 *fana omnia ... expiarentur.*

Iul. Obs. 52 *lustrationibus ... expiatum.*

Ovid. *Fast.* II 29 *corpora nostra piantur.*

Val. Max. I 7 ext. 4 *supplicem sacrificio expiaverat.*

Pers. *Sat.* II 33 *lustralibus ... salivis expiat.*

Senec. *Herc. Fur.* 919 *manus cruenta caede et hostili expia; Phaedr.* 717 *non ... oceano ... tantum expiarit sceleris; Troad.* 637 *piari posse redituras rates* (= lustrari posse).

Columell. *de r. r.* VIII 5. 11 *paleas ... perlustrant, et expiatas cubilibus iniciunt.*

Plin. *N. H.* XXXV 177 *expiandis suffitu domos.*

Petron. *Sat.* 137 *expiare manus* (homicidio pollutos).

Stat. *Theb.* IX 602 *in amne nefas merso ter crine piavit;* XI 506 *piabo manus.*

Tac. *Hist.* IV 3 *expiato terrarum orbe.*

Plin. *Epist.* VIII 6. 5 *expiata ... curia.*

Iuvenal. VI 521 *expiet annum.*

Flor. I 7. 18 *civitas non deleta nec obruta, sed expiata potius et lustrata.*

Censor. *de die nat.* 22. 14 *est februum quidquid piat purgatque.*

Vict. *de vir. ill.* 4. 9 *expiandi gratia sub tigillum missus.*

Macrob. *Sat.* I 16. 10 *prudentem expiari non posse.*

Serv. in Verg. *Aen.* XII 169 *purpura maris vicem ad piandum praebet.*

Lactant. ad Stat. *Theb.* I 570 *Apollinem Pythonis caede pollutum expiavit.*

Porphyr. ad Hor. *Od.* II 1. 4 *de quibus (armis) nondum expiati, id est, loti cruores sint.*

Tertull. *adv. Iud.* 14 (II 681 M) *delictis omnibus expiati*, *de bapt.* 5 (I 1313 M.) *templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant ... Quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat.*

Commod. II 24. 14 *de lucro mercis vis te piare.*

Firmic. Mat. *de err. prof. relig.* XX 5 *ut expiatis omnibus terris pestiferum hoc malum funditus amputetur.*

Saepe Prudentius verbo *piandi* vi *purgandi* utitur:

Cath. 7. 7 *Nil ... purius mysterio (ieiunii), quo fibra cordis expiatur lividi,* 7. 73 *sacrato in flumine veterum piatas lavit errorum notas,* 12. 165 *expiatam fluctibus plebem ... repurgat undis dulcibus; Perist.* 2. 374 *recens piatis fratribus, baptisma quos ... Christi capaces fecerat,* 4. 68 *urbe piata,* 5. 361 *mentem piatam sanguine,* 13. 61 *luteum facili charismate pectus expiasti; Psychom.* 102 *expiat ... aciem fluviali ... lavacro,* 104 *piatum condere vaginae gladium; Symm.* I 20 *animam letali peste piatam,* II 677

hac me labe ream... tempora vestra piarunt; Hamartig. praef. 18 *mundum... sero expiandum... sacro cruore Christi.*

g. Expiare = abstollere, avertere.

Horat. *Ep.* V 9 *dira detestatio nulla expiatur victima.*

Flor. II 18. 7 *Caudini illius foederis... dedecus... deditione Mancini expiavit.*

Just. XXX 2. 8 *expiata infamia.*

Macrob. *Sat.* I 7. 35 *ut effigies Maniae suspensae... periculum... expiarent.*

Nonnumquam verbo *piandi* utuntur fratres arvales in commentariis. Quae infra, de arvalium sacrificiis piacularibus agens, suo loco commemorabo.

Piare = impiare(?)

Servius ad Vergil. *Aen.* II 140 annotat *piabunt: expiabunt: et τῶν μέσων est, nam plerumque et impiare significat.* Eadem docet et Non. Marcell. M 370 L 588. Si Servius tantum contendisset, nonnumquam verbo *piandi* vim *impiandi* inesse, non esset cur non ita rem se habere arbitraremur. Vocabulum autem *plerumque* cum addiderit, egregie falli grammaticum existimo. Quod ipsis veterum scriptis probatur. Etenim nullibi hanc significationem voci *piandi* subiectam invenies, nisi forte excipias difficillimum versum Vergilii (*Cir.* 155)

Iurando infelix nequidquam iura piasses.

Qui autem factum sit ut veteres grammatici erraverint, deprehendere non est difficile, cum constet illos ex significatione vocis *piaculi*, quae saepissime vim habeat *peccati* et *sceleris*, minus recte collegisse, eandem notionem verbo quoque *piandi* inesse, cf. Non. Marcell. M 370 L 588 *piare decitur impiare, contaminare. Vergil. lib. VI (569):*

'distulit in seram commissa piacula mortem'.

6. IMPIARE.

Impiare idem valet ac *impie agere* et *impium facere*, cum parvis significationum discriminibus. Testimonia sint:

Plaut. *Rud.* 191 *si erga parentem aut deos me impiavi.*

Senec. *Phaedr.* 1185 *thalamos . . . impiatos facinore.*

Apul. *Met.* I 18 *cruore humano . . . impiatum*, III 3 *reum tot caedibus impiatum.*

Pacat. *Paneg. Theod.* 43 *ne oculos istos omnibus salutares homo funebris impiaret.*

Min. Fel. *Oct.* 28. 5 *impiatis sacris* (= sacris impie commissis).

Prud. *Cath.* VI 54 *vitiis cor impiavit.*

Alia omnino est vis *impiandi* apud Macrob. *Sat.* III 10. 7 *committitur ergo res non quidem impianda* (= inexpianda = inexpiabilis), *insolita tamen.*

7. PIABILIS.

Vis vocis *piabilis* duplex est. Significat enim:

aut: *placabilis,* cf. Ovid. *Fast.* III 289 *piabile fulmen* (i. e. piabilis, placabilis ira Jovis, quae fulmine ostenditur),

aut: *purgans maculis,* cf. Ven. Fort. II 4. 7 *piabilis palma.*

8. INEXPIABILIS.

Aptissime significationes vocis *inexpiabilis* et verbi *expiandi* inter sese cohaerent, quod facile videbis, dummodo ea quae sequuntur, cum iis quae supra n. 5 exposuimus, comparaveris.

a. I n e x p i a b i l i s = i m p l a c a b i l i s.

Cic. *in Pison.* 81 *si aspernaretur amicitiam meam seseque mihi implacabilem inexpiabilemque praeberet; Philipp.* XIII 2, XIV 8 et *de har. resp.* 4 *inexpiabile bellum; Tusc. Disp.* I 27 *nec violatas* (*caeremonias*) *tam inexpiabili religione* (= poena) *sanxissent; de re publ.* III 19 *clamantque inexpiabiles poenas impendere iis, a quibus violatum sit animal* [1]).

---

1) Notandum est *Tusc. Disp.* I 27 et *de re publ.* III 19 non *deos,* sed iam ipsas *poenas* vocari *inexpiabiles, implacabiles.* Neerl.: *onverbiddelijke straffen.*

Liv. IV 35. 8, XXXIII 12. 8, XXXIII 47. 9, XLI 24. 8 *inexpiabile bellum;* Liv. II 17. 1 et XXXIX 51. 4 *inexpiabile odium*, qua cum ultima locutione compares Cic. *ad Quinct.* I 1. 39 *implacabiles iracundiae* et Nep. *Dat.* 9 *implacabile odium* et Arnob. *adv. nat.* I 64 et V 8 *implacabiles simultates.*

b. Inexpiabile = quod sanari, poenis lui non potest.

Cic. *Philipp.* I 13 *inexpiabiles religiones* (= delicta); *Tusc. Disp.* I 72 *fraudes inexpiabiles; de har. resp.* 57 et *Philipp.* XI 29 *inexpiabili scelere.* Compares velim *Orat.* 89 *insanabiles contumelias.*

Tacit. *Ann.* II 76 *nihil adhuc inexpiabile admissum.*

Petron. *Sat.* 17 *inexpiabile scelus.*

Arnob. *adv. nat.* III 43 *piaculis* (= delictis)... *inexpiabilibus*, VI 6 *inexpiabilem fieri numinibus contumeliam.*

Lactant. *D. I.* I 18 et V 1, (VI 210 et 547 M) *inexpiabile scelus;* II 18 et V 20, (VI 342 et 611 M) *inexpiabile facinus,* II 18 (VI 344 M) *inexpiabilibus sacris.*

c. Inexpiabile = quod tolli non potest.

Val. Max. VI 4. 5 *inexpiabili detestatione,* VI 8. 7 *inexpiabili... nota.*

9. PIATIO, EXPIATIO.

Quae de voce *inexpiabilis* diximus, ad *piationis* et *expiationis* quoque vocabula pertinent.

a. Piatio, expiatio = placatio.

Cf. Cic. *de har. resp.* 21 *audio quibus diis violatis expiatio debeatur, sed hominum quae ob delicta quaero; de leg.* I 40 *impietatum nulla expiatio est* (i. e. deorum placatio).

Liv. IX 1. 4 *scio... foederis* (*rupti*) *expiationem spretam. quid enim ultra fieri ad placandos deos mitigandosque homines potuit?*

Plin. *N. H.* XXVIII 27 *in mensa utique id reponi adolerique ad Larem piatio est* (i. e. Laris placatio).

Macrob. *Sat.* I 16. 8 *sunt singulorum* (*feriae*), *uti nata-*

lium fulgurumque susceptiones, item funerum atque expiationum.

Serv. ad Vergil. *Aen.* VI 569 *piacula commissa, propter quae expiatio* (sc. deorum) *debetur.*

Lactant. ad Stat. *Theb.* IV 459 *loca per quae piationem facimus.*

Porphyr. ad Hor. *Epist.* I 1. 36 *expiationibus quibusdam sanari posse* (i. e. carminibus placatoriis).

Arnob. *adv. nat.* V 3 *utrumne capite vervicino an suillo an bubulo an quolibet alio expiationem istam sciscat Diespiter perpetrari.*

Antea probavi locutionem *piare, expiare prodigia cet.* idem valere ac *placare iram deorum prodigiis manifestatam.* Sequitur, ut *expiatio prodigiorum* idem valeat ac *placatio deorum, qui prodigiis iram significaverunt hominibus.*

Cic. *de leg.* II 34 *de expiationibus et procurationibus.*

Jul. Obs. 44 *cuius (prodigii) expiationem.*

b. Expiatio = ultio.

Cf. Quinct. *Decl.* CCLXV 1 *in ultionem deorum immortalium et templi, ut proprie dixerim, expiationem* (i. e. in ultionem laesi templi).

c. Expiatio = lustratio.

Cf. Liv. V 50. 2 *expiatio (fanorum).*

Serv. ad Vergil. *Aen.* I 321 *ut ad tumultum virgines populi convenirent et propter expiationem per imaginem pugnae concurrerent.*

Lactant. ad Stat. *Theb.* XI 285 *expiatio enim fuerat civitatis mors Menoeci.*

10. PIAMEN, PIAMENTUM, EXPIAMENTUM.

Vocabula haec tum *placamen* tum *purgamen* valent, cf. Fest. M 213 L 234 *piamenta, quibus utitur in expiando, alii purgamenta.*

a. Piamen, piamentum = placamen, placamentum.

Cf. Ovid. *Fast.* III 333 *da certa piamina . . . fulminis.*

Senec. *Cons. ad Helv.* 16. 6 *dolituraе domus piamentum*

(i. e. sacrificium vicarium deos placans pro domo dolitura).

Plin. *N. H.* XXV 30 *scrobem repleri vario genere frugum religio est ac terrae piamentum*, XXV 107 *favis ante et melle terrae piamentum datis*, XXXVII 3 *satis piamenti (Fortunae) in unius gemmae voluntario damno.*

Apul. *Met.* IV 30 *communi numinis piamento.*

Fest. M 238 L 274 *propudialis porcus ... in sacrificio gentis Claudiae velut piamentum* (sc. deorum) *et exsolutio omnis contractae religionis est.*

b. Piamentum, piamen = purgamen, purgamentum.

Cf. Ovid. *Fast.* II 19 *februa Romani dixere piamina patres*, II 33 *omne solum lustrant idque piamen habent*[1]).

Prudent. *Cath.* IX 33 *turgidam cutem repurgant vulnerum piamina.*

Schol. Bob. ad Cic. *Mil.* 7, Hild. p. 64. 2 *Horatius sub iugum traductus est; id expiamentum memoriae servatum.* Notandum est, traducere sub iugum ritum esse lustralem.

11. PIATOR, EXPIATOR, PIATRIX, EXPIATRIX.

His quoque vocabulis tres significationes subiectae sunt *placatoris, purgatoris, ultoris.* Testimonia sint:

Fest. M 213 L 232 *pi[atrix dicebatur sacerdos, quae expiare erat solita,] quam quidam simulatricem, alii sagam, alii expiatricem vocant; et piamenta quibus utitur in expiando, alii purgamenta* (Paul. M 212 L 233 *piatrix dicebatur sacerdos, quae expiare erat solita, quam alii sagam vocabant; piamenta quoque dicebantur, quibus utebantur in expiando*). Duplici munere fungebatur expiatrix, placatricis et purgatricis. Numina enim, quae somnia mittebant, mola salsa et ture exorabat; sulphure, ovo, aliis purgamentis lectum lustrare erat solita, cf. Martial. VII 54, XI 50; Ovid. *Art. Am.* II 329. Ritum ipsum postea fusius explicabimus.

Apul. *Flor.* XV, p. 167 v. d. Vliet *Cretensem Epimeniden*

---

1) Forsitan et hoc loco *piamen* est *placamen.* Sequitur enim versus 34 *aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris.*

inclitum fatiloquum et piatorem (*piatorem* Lipsius; *platonem* codices Florentini). Athenas autem ab Epimenide esse lustratas, satis notum est.

Tertull. *de pudic.* 15 (II 1063 M) *impuritatis omnis exsecratorem et expiatorem* (= ultorem).

Quod ad versum Plauti attinet *Mil. Glor.* 695, recte Studemund (*Herm.* I 289) *plicatricem*, non *piatricem* legendum esse censet.

12. EXPIATORIUS.

Ab *expiatore* manavit *expiatorius*, quod duplicem vim habet et significationem:

primum est *placatorius* Serv. ad Vergil. *Aen.* III 264 *expiatorios, unde: dii prohibete minas,*

deinde *purgatorius* August. *C. D.* XXI 13 (XLI 727 M) *mundetur per expiatorias poenas, quod terrena contagione contractum est.*

13. PIACULUM.

a. Piaculum = id quo piatur: placamen, hostia placatoria.

Cum nativa significatio verbi *piandi* notionem ostendat *placandi*, principalis vocis *piaculi* significatio *placamen* sit necesse est. Quodsi de religionibus agatur, placamen illud plerumque esse sacrificium placatorium, re ipsa patet. Livius VI 21. 7. narrat auctores defectionis Veliternae avertisse cives suos a consiliis pacis *ne soli crimini subiecti piacula irae Romanorum dederentur.* Quapropter, si defectione aliqua facta aut foedere aliquo rupto, civem hostibus deditum esse *ad piaculum* idem Livius narrat, *piaculum* iure *placamen irae* est habendum, sic IX 10. 4 *ipsum se* (*Postumium*) *cruciatibus et hostium irae offerre, piaculoque pro populi Romano dare,* XXI 10. 12 *nec* (*Hannibalem*) *dedendum solum ad piaculum rupti foederis,* XLV 10. 13 *Decimio in auctoribus ad piaculum noxae obiciendis adsensi sunt* (i. e. ut obicerentur irae Romanorum). Alia auctorum testimonia,

quae voci *piaculi* vim inesse placationis clare demonstrant, haec sunt:

Horat. *Epist.* I 1. 36 *sunt certa piacula, quae te ter pure lecto poterunt recreare libello* (= orationes placatoriae) [1]).

Liv. VIII 9. 10 *piaculum omnis deorum irae, qui pestem ab suis aversam in hostes ferret*, X 28. 13 *datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus: iam ego mecum hostium legiones mactandas Telluri ac dis Manibus dabo*, XXII 9. 7 *quaeque piacula irae deum essent.*

Tacit. *Ann.* I 49 *cupido involabat eundi in hostem, piaculum furoris* (ut furor placaretur); *Hist.* I 58 *interim ut piaculum obicitur centurio Crispinus* (sc. militum irae).

Iuvenal. XII 120 *furtiva piacula cervae* (ad Dianam placandam).

Stat. *Achill.* I 139 *ignotis horrenda piacula divis donaque*; *Theb.* X 799 *nos saeva piacula bello demus.*

Macrob. *Sat.* I 11. 49 *pro se atque suis piaculum pro Dite . . . facerent.*

Paulo latius, in simplicem *sacrificii* notionem, vox *piaculi* manavit in hisce Ausonii et Tertulliani verbis: Auson. *Epigr.* 106 (108), p. 351 v. 19 Peiper *et quia debentur suprema piacula vitae*; Tertull. *praescr.* 40 (II 67 M.) *sacrificiorum et piaculorum et votorum curiositates.*

Iam antea lector nos ostendisse meminerit locutiones *manes piandi* ac *manes placandi* eandem vim habere et significationem. Sequitur ut *piacula* quae manibus inferri scriptores veteres narrant, non nisi manium *placamina* sint habenda, e. g.:

Vergil. *Aen.* VI 153 *duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto* [2]).

Ovid. *Met.* VI 569 *falsisque piacula manibus infert.*

Val. Max. IX 2. 2 *id enim malorum miserrimae tunc reipublicae deerat, ut Vario Caesar piaculo caderet* (i. e. in busto Varii quasi piaculum mactaretur).

Lucan. IV 789 *ferat ista cruentus Hannibal et Poeni tam*

---

1) Cf. Gemoll, *Die Realien bei Horaz*, IV p. 47.

2) Quae Servius ad hunc locum annotavit, minus recta sunt.

dira piacula manes. Bene ad hunc Lucani locum scholiasta (ed. Endt p. 155) *id est: ferat piacula: expiationes, ut Vergilius: 'ea prima piacula sunto'*.

Suet. *Oth.* 7. 5 *per omnia piaculorum genera manes Galbae, a quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentasse.*

Sil. Ital. V 213 *manibus ipsa suis praesumpta piacula mittit*, XIII 405 *mactare... mos umbris... consueta piacula nigras... pecudes*, quae quidem *piacula* vers. 415 *placamina* nominantur, XIII 418 *apparat occulto monstrata piacula coepto.*

Quod si recte sese habent, quae antea explicavimus: locutionem *piandi prodigia* per transnominationem idem valere ac *placandi iram deorum, prodigiis ostentam*, vox *piaculi* quoque quatenus cum prodigiorum procuratione est connexa, vim et significationem *placaminis* habeat necesse est. Quae conclusio mire confirmatur hisce verbis Taciti *Ann.* XV 44. 1 *mox petita dis piacula aditique Sibullae libri... sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia.* Testimonia afferam:

Liv. IV 30. 10 *insolita piacula pacis deum exposcendae*, V 16. 1 *prodigii piacula*, VII 3. 3 *piaculorum... conquisitio*, VIII 18. 11 *prodigii ea res loco habita...; itaque memoria ex annalibus repetita... clavum a dictatore fixum alienatasque discordia mentes eo piaculo compotes sui fuisse*, XL 37. 2 *prodigii loco ea clades haberi coepta est. C. Servilius pontifex maximus piacula irae deum conquirere iussus.*

Apul. *de deo Socr.* VIII, p. 14 v. d. Vliet *Tuscorum piacula.*

Gell. *N. A.* IV 5. 2 *ob id fulgur piaculis luendum*, XVI 6. 10 *ostentum... est et piaculis factis procurandum*, XVI 4. 4 *auspiciumve, quod sine piaculo praeterire non liceat.*

Macrob. *Sat.* VI 9. 2 *ostentum... et factis piaculis procurandum.*

Philarg. ad Vergil. *Georg.* II 162 *nuntiatum... simulacrum Averni sudasse, propter quod pontifices ibi piacularia sacra fecerunt.*

Iuris divini peritis ignotum non est, Romanis quosdam ritus sacros fuisse, qui proprio et singulari *piaculi* nomine ornantur; in quorum rituum natura investiganda haec tota

nostra versatur dissertatio. Sufficiat hoc loco adnotasse, piacula esse sacrificia, quae fiant ob sacra quaedam sive commissa sive committenda. A *piaculo* autem, hoc sensu usurpato, minime vim et significationem *placationis deorum* esse alienam, tum ea indicant, quae adhuc explicavimus, tum demonstrant ea, quae habet Livius XXII 9. 7 *Q. Fabius Maximus dictator iterum quo die magistratum iniit vocato senatu, ab dis orsus, cum edocuisset patres plus negligentia caerimoniarum auspiciorumque quam temeritate atque inscitia peccatum a C. Flaminio consule esse* [1]), *quaeque piacula irae deum essent ipsos deos consulendos esse, pervicit ut*... Quibus praemissis, testimonia ubi de hisce deorum placationibus agitur expressis verbis, omnia enumerabo.

Cato *de agr.* 139 *porco piaculo facito... te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor... macte hoc porco piaculo immolando esto,* 140 *altero piaculo... facito,* 141. 4 *te hisce suovetaurilibus piaculo... te hoc porco piaculo.*

Cic. *de leg.* II 57 *et porco femina piaculum pati: si in mari mortuus esset eadem praeter piaculum et ferias.*

Horat. *Od.* I 28. 34 *teque piacula nulla resolvent;* et Pseudacr. ad *loc. all. hoc est: nullis hostiis expiaberis; piacula enim dicebantur, quibus facinus expiabatur admissum.*

Liv. VIII 10. 12 *piaculum hostiam caedi,* VIII 10. 14 *Marti suovetaurilibus piaculum fieri,* XXIX 19. 9 *quae piacula, quibus diis, quibus hostiis fieri placeret.*

Tacit. *Ann.* XII 8 *piaculaque apud lucum Dianae per pontifices danda.*

Gell. *N. A.* II 28. 3 *si... piaculoque ob hanc rem opus esset,* IV 6. 6 *prioribus iam caesis (hostiis) luendi piaculi gratia subdebantur.*

Fest. M 189 L 204 *cuius auspicio (spolia) capta, dis piaculum dato,* M 213 L 234 *porca... per aliquem pro piaculo solvitur,* M 214 L 235 *propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant.*

---

1) Quae fuerint sacra a Flaminio commissa, narrat Liv. XXI 63. 7.

Auson. *Grat. act. ad Grat.* X, p. 365 Peiper *prope cum piaculo verba transcurro.*

Macrob. *Sat.* I 16. 10 *porco piaculum dare debere,* III 10. 7 *si quis forte tauro Iovi fecerit, piaculum dato.*

Cod. Theod. XV 1. 10. 12 *secretiore piaculo Larem ... veneratus.*

Quod ad titulos attinet, cf. Henzen *A. Fr. A.* p. 135 ubi quater decies, p. 139 sq. ubi ter decies *piaculum factum* commemoratur. Vide etiam:

C. I. L. XI 4766 (= Bruns[6] p. 260) *piaclum datod ... piacli exactio,*

C. I. L. X 8259 (= Dessau 8381) *piaculo prius dato,*

C. I. L. VI 1884 (= Dessau 1792) *piaculo facto.*

b. Piaculum = quod est piaculo dignum. Diligenter vim atque pondus vocis *piaculi* examinanti statim apparet, ni fallor, ex *placationis* notione breviloquentia quadam emanasse significationem omnino diversam. Quodsi attente consideraveris verba Livii XL 13. 4 *si quid antea admisissem piaculo dignum,* facile videbis verba illa divino Romanorum iuri maxime propria *piaculum admittere, committere* cet. elocutiones esse ut ita dicam contractas, eaque idem valere ac *admittere, committere aliquid dignum piaculo.* Testimonio sunto:

Piaculum committere: Vergil. *Aen.* VI 569; Liv. V 52. 13, XXIX 18. 9; Gell. *N. A.* XIX 13. 4; Serv. ad Vergil. *Aen.* II 104 et 717, III 279, VIII 110, XII 120; Paul. *Sentent.* I 21. 4; Isid. *Orig.* V 26. 26; Prudent. *Apoth.* 544; Tertull. *adv. nat.* II 9 (I 671 M).

Piaculum contrahere: Arnob. *adv. nat.* III 43; *piaculi commissionem contrahere:* Arnob. *adv. nat.* IV 31.

Piaculum admittere: Paul. *Sent.* I 21. 12; Serv. ad Vergil. *Aen.* III 607, IV 646, XII 242; Porphyr. in Horat. *Od.* I 28. 33.

Piaculum incurrere: Serv. ad Vergil. *Aen.* I 309.

Piaculum merere: Liv. II 38. 4 (cf. VIII 28. 8 *noxam merere*).

Piaculum facere: Tertull. *ad nat.* I 7 (I 640 M).

Piaculum luere: Gell. *N. A.* IV 6. 6.

Piaculum formidare: Serv. ad Vergil. *Aen.* VIII 110.

Piaculum est: Gell. *N. A.* X 15. 10; Serv. ad Vergil. *Aen.* III 407, IV 29, XI 339; Macrob. *Sat.* I 16. 19; Lactant. ad Stat. *Theb.* VIII 297; Arnob. *adv. nat.* VII 21.

Piaculum nascitur: Lactant. ad. Stat. *Theb.* VIII 437.

Sine piaculo: Liv. V 52. 8, XXXIX 18. 8; Serv. ad Vergil. *Georg.* I 270, 272; *C. I. L.* IX 3513 (= Bruns[6] p. 261).

Piaculis plena (Romanorum) vita: Arnob. *adv. nat.* VII 26.

c. Piaculum = nefas, scelus, peccatum.

Ex iis quae modo diximus facile intelligitur qui fieri potuerit, ut sensim vox *piaculi* latius manaverit, ut vel *nefas, scelus, peccatum* amplecteretur. Quod mirum videtur; toto coelo enim deorum placatio et scelera inter se distant. Sed saepius accidit, ut vocabula quae ad ius divinum Romanorum pertinent, varia declarent atque etiam inter se omnino contraria. Meminisse sufficiat, quid sit *sacrum*, quid *religio*.

Plaut. *Truc.* 223 *piaculumst miserere nos hominum rei male gerentum.*

Vergil. *Aen.* VI 569 *distulit in seram commissa piacula mortem.*

Phaed. III *ep.* 34 *palam muttire plebeio piaculum est.*

Fest. M 145 L 128 *Ennius in Telepho (286): 'palam muttire plebeio piaculum est'*. Paul. M 144 L 129 cum Festo congruit [1]).

Plin. *N. H.* XXVIII 8 *nos auxilia dicemus, non piacula* (i. e. laesiones iuris manium).

Lucan. II 176 *non fanda piacula.* Recte ad hunc locum scholiasta (ed. Endt p. 52) *piacula autem scelera dixit*; II 304 *inmites Romana piacula divi plena ferant.* Recte annotat scholiasta (ed. Endt p. 58) *piacula scelera.*

Stat. *Theb.* VI 86 *crimina caesi anguis et infausti cremet atra piacula belli.*

Tacit. *Ann.* I 30 *non aliud malorum levamentum quam si . . . soluti piaculo suis quisque hibernis redderetur.*

---

1) Quod ad rem attinet cf. Iuven. V 130 *plurima sunt quae non audent homines pertusa dicere laena.*

Sil. Ital. I 182 *inter spretae miseranda piacula poenae* (i. e. scelerosae et miserandae poenae).

Plin. *Pan. in Trai.* 37, p. 33 Baehr. *nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines velut intercedente vicesima scindi.*

Auson. III 4 *Epic. in patr.*, p. 21 Peiper *falsum me ... dicere et verum tacere eiusdem piaculi existimo.*

Incert. *pan. in Const.* 4, p. 195 Baehr. *spoliatorum templorum, trucidati senatus, plebis Romanae fame necatae piacula.*

Pacat. *in Theod.* 33, p. 301 Baehr. *indignius videbatur eius piaculi quemquam inveniri potuisse consortem, cuius se barbarus agebat ultorem.*

Claudian. V 517, p. 37 Koch *cui tanta piacula quisquam supplicio conferre valet?* XV 390, p. 49 Koch *fugiens ... dira piacula fratris, spes ... tuo commisit asylo;* XVIII 431, p. 65 Koch *peregrina piacula ... pellantur longe Latio nec transeat Alpes dedecus;* XX 8, p. 70 Koch *quid lacrimae delicta levant? ... immotis haesere piacula fatis;* XXVIII 329, p. 186 Koch *iaculatur ... secum rapturas cantata piacula taedas.*

Min. Fel. *Oct.* VIII 4 *non sacro quodam, sed piaculo foederatur.*

Lactant. *D. I.* II 18 (VI 343 M) *est enim piaculum maximum, addicere se potestati eorum* (sc. diabolorum).

Prudent *Apoth.* 544 *Christi ... sanguine respersus commissa piacula solvit; Perist.* X 219 *cur piaculum tam libenter lectitas?* Recte scholiasta *'facinus, peccatum.*

Aquil. Iuvenc. *Lib. Evang.* III 168 *immundo hominem maculare piaclo.*

Dracont. *de Deo.* I 539, II 362, 401, III 263 *sacra piacula,* II 709 *horrenda piacula.*

d. Piaculum = miseria.

Miseriam quoque, qua quidem vexati homines deos placare solent, bis voce *piaculi* significatam inveni.

Plin. *N. H.* XXV 84 *tantum gloriae habet* (*herba Vettonia*) *ut domus, in qua sata sit, tuta existimetur a piaculis omnibus.*

Val. Flacc. *Argon.* II 563 *post quanta piacula patrum serus ades?*

e. Piaculum = poena.

Haec vocis *piaculi* vis intime connexa est cum ea de qua antea egimus verbi *piandi* significatione, *poenas luendi* dico et *vindicandi*, ut locis hisce patebit:

Liv. I 26. 12 *ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur*, XXIX 8. 9 *a Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias rettulit, spoliati dicebantur*, 18. 18 *a violatoribus gravia piacula exegit*, XXXIX 47. 11 *ut si quid minus factum sit quam debuerit, tum quoque sine piaculo rerum praetermissarum fiat*, XLV 23. 17 *legationis satis magnum piaculum esset.*

Ovid. *Met.* XV 155 *falsique piacula mundi* (= poenae fictae apud inferos).

German. *Arat.* I 200 Baehr. *P. L. M.* I p. 159 *Andromedam, meritae non iusta piacula matris* (i. e. Andromedam, quae iniuste culpam solvit, quam mater meruerat).

Val. Max. I 1. 14 *iusta exacturi piacula,* V 3 ext. 3 *laesis* (*legibus*) *iusta piacula exsolve,* VI 8. 7 *ibi illum datis sibi crudelitatis piaculis uri respondit.*

Plin. *N. H.* VII 116 *sed quo te, M. Tulli, piaculo taceam* (i. e. quae poena mihi esset danda, si te tacerem).

Stat. *Theb.* I 236 *ille tamen . . . aeterna piacula solvit.*

Val. Flacc. *Arg.* II 432 *incautis decreta piacula linguis,* IV 552 *urgentis per sera piacula fati nescius.*

Sil. Ital. XIII 368 *sontes procerum meritosque piacula prima acciet.*

Calp. Flacc. *Decl.* 15 *quod non sine piaculo factum est, consecrata iamdudum arma deposui.*

Iustin. VIII 2. 6 *solum* (*Philippum*) *qui piacula exigeret, exstitisse.*

Pacat. *in Theod.* 45, p. 312 Baehr. *duobus an tribus furiosi gladiatoris lanistis in belli piaculum caesis, reliquos omnis venia complexa velut quodam materno sinu clausit.*

Auson. *de XII Caes.* 4, p. 186 Peiper *sera . . . sed iusta piacula; Ord. Urb.* IX, p. 148 Peiper *solveret . . . sera piacula . . . Maximus.*

f. Piaculum = ultio.

De hac significatione eadem valent ac de *poenae* notione.

Sil. Ital. IV 464 *paternos ante oculos animas, optata piacula, mactat* (i. e. animos mactat, quas in patris ultionem interficere exoptabat), VI 300 *percepit... praesumpta piacula mortis* (i. e. ipse mortem suam ultus est, antequam e vita discessit).

g. Piaculum = purgatio.

Rarissime voci *piaculi* vis inest *purgationis*.

Plinius *N. H.* XXVIII 70 *mensum piacula*, quo cum loco compares XXXII 132 *menstruas purgationes*.

Stat. *Theb.* I 569 *nova deinde piacula caedis perquirens*.

Prudent. *in Symm.* I 523 *monstrata piacula quaerit, inque fidem Christi pleno transfertur amore*.

Ad Vergil. *Aen.* IV 636 *et pecudes secum et monstrata piacula ducat*, Servius annotat *piacula purgationes*. Mire errat grammaticus. *Monstrata piacula* ea sunt de quibus dixit poëta IV 486 *humida mella soporiferumque papaver*, quae non *purgamina* habenda sunt sed *placamina mentis*.

h. Piaculum = victima piacularis.

Plin. *Pan. in Trai.* 82, p. 76 Baehr. *non secus ac piaculum aliquod trahebatur*. Compares velim *l. l.* 34, p. 30 *cum velut piaculares... victimae... ad... poenas ducerentur*.

Prudent. *Perist.* X 1047 *tabo recentis sordidum piaculi*.

14. PIACULARIS.

Ut substantivo *piaculi* ita et adiectivo *piacularis* alia vis est cum de deorum placamine, alia cum de facto piaculo digno, immo peccato ac scelere dicitur.

a. Piacularis = quo deorum ira placatur.

Cf. Plaut. *Epid.* 139 *men piacularem* (= hostiam piacularem) *oportet fieri ob stultitiam tuam?*

Varr. *de l. l.* VI 30 *piaculari hostia facta*.

Liv. I 26. 13 *piacularibus sacrificiis*, XXIX 19. 8 *sacrum piaculare fieri*, 21. 4 *piaculare sacrum fecerunt*, XXXI 12. 4 *piacularia* (*sacra*)... *fieri*, XLII 3. 10 *piaculariaque* (*sacra*) *Iunoni fierent*.

Plin. *Epist.* III 9. 9. *vilissimo . . . quasi piaculari* (*hostia*) *dato; Paneg. in Trai.* 34, p. 30 Baehr. *velut piaculares publicae sollicitudinis victimae* (i. e. placantes sollicitudinem publicam).

Fest. M 213 L 234 *piacularis porca.* Paul. M 214 L 235 *piacularis porta Romae dicta propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant.*

Quod ad titulos attinet, cf. Henzen *A. Fr. A.* p. 20 et 21, ubi undevicies scriptum videbis *porcae* vel *porciliae piaculares;* p. 139 c, ubi ter *sacrificium piaculare.*

b. Piacularis = piaculo dignus, unde: nefastus, scelerosus.

Cf. Fest. M 245 L 286, Paul. M 246 L 287 *piacularia auspicia.*

Macrob. *Sat.* I 10. 1 *poenas a nocente isdem diebus* (*Saturnalibus*) *exigere piaculare est,* I 15. 21 *feriis autem vim cuiquam fieri piaculare est.*

Apul. *de deo Socr.* III, p. 10 v. d. Vliet *quamquam se . . . ita omnibus erroribus ac piacularibus* (= peccatis) *depravaverint, sceleribus imbuerint; Apol.* XLV, p. 59 v. d. Vliet *ego non de nihilo postulo, ut nomines, quinam testes hoc piaculari* (= nefasto) *sacro adfuerint.*

Paneg. incert. XVIII, p. 206 Baehr. *nec desitum . . . caput illud piaculare* (= scelerosum) *foedari.*

Min. Fel. *Oct.* XXIV 3 *piaculare flagitium.*

Tertull. *de pud.* 22 (II 1084 M) *piaculariter* (flagitiose) *negaverunt.*

CONCLUSIO.

Ut paucis ea, quae adhuc vidimus, comprehendam, hoc ni fallor certissime constat, verbum *piandi* et quae alia cum eo cohaerent vocabula, licet sensim in diversissimas significationes abierint, omnia ex una radice quae est *pius* effloruisse; huic autem vim atque significationem eam inesse nativam, quae veterum scriptis attente consideratis, vel invito et recusanti sese offerat necesse est, *amoris* dico et *bonitatis.*

Quae cum ita sint, longe recedendum est ab opinione et

placitis eorum, qui putant verbo *piandi* iam inde ab initio vim *purgandi* fuisse subditam, nativam autem illam *purgandi* significationem ad verbum *lustrandi* ut ita dicam recepisse semetipsam, cum paulatim ipsi *piandi* verbo notio *poenas luendi* subreperet.

Contra nec *puritatis* nec *culpae* notio cum verbo *piandi* naturaliter connexa est, sed ea tantum, quam ostendimus *placandi* et *sanandi*. Itaque non modo vero consentaneum non est *piare*, quatenus *purgationem* ostendat, *lustrandi* verbo loco cessisse, sed uti vidimus non raro factum est, ut *piare* verbo *lustrandi* succederet, sicut et olim *piamina* successisse *februis*, ipsis verbis Ovidius testatur.

Quod autem ad vocabula attinet *piaculi* atque *piacularis*, rarissime illis vim *purgationis* subesse ex ipsis antiquorum testimoniis dilucide probavimus. Itaque in Romanorum perscrutandis sacrificiis, haec prae ceteris norma atque ratio firmiter statuenda et tenenda est, *piacula* et *lustrationes* omnino diversos habere intellectus, quamquam interdum factum est, ut in iuris sacri vocabulis eligendis scriptor Latinus minus diligenter et accurate sit versatus.

Quae si negaveris, immo contenderis *piacula* et *lustrationes* naturaliter idem valuisse; ne a te ipso discedas velim, sed concedas, pontifices Romanos in eligendis iuris divini vocabulis propriis fuisse quam diligentissimos, sed tamen in ipsis ritibus, qui Romanis magnopere cordi erant — lustrationes, purgationes, prodigiorum procurationes, piacula — vocabula artis omnino fuisse confusa ac conturbata.

Quod qui sibi persuasit, is sensu nativo vocum *pii* ceterorum neglecto sacrificiorum horum artem et rationem suo marte sibi fingat oportet, quod quidem fecit Bouché-Leclercq, multis aliis in rebus non sine magna doctrina atque eruditione de Graecorum et Romanorum lustrationibus disputans. „*En somme*" inquit [1]) „*l'exégèse philologique ne permet pas d'asseoir sur tant de termes interchangeables une distinction nette entre la purification ou lustration proprement dite et l'expiation religieuse. C'est que ces deux manières*

---

1) Daremberg—Saglio, *l. l.*, p. 1406.

d'échapper aux conséquences d'actes posés ont même but, qu'elles ont été employées concurremment ou associées, et que les circonstances ne permettent pas toujours de définir à laquelle des deux appartenaient les mesures prises. C'est aussi que nous n'avons pas affaire à des rituels sacerdotaux, mais au language courant. Les Romains eux-mêmes, chez qui les pontifes s'attachaient à préciser le sens des termes techniques, les Romains confondent souvent la 'lustratio' et le 'piaculum', ou tout au moins ils conçoivent l'expiation par offrandes, compensations et supplications, comme produisant la lustration ou la purification. Par exemple, ils 'expient' un prodige, considéré comme indice de fautes ignorées, par des sacrifices et cérémonies diverses en qui se combinent, à l'état indistinct, la purification et l'expiation. Si l'on veut échapper à cette confusion, qui tend à englober dans le sujet le culte tout entier, car il n'est pas de cérémonie religieuse qui ne requière pas des officiants ou assistants un certain degré de pureté et qui n'ait pour effet de les rendre plus agréables aux dieux, plus 'pieux' et plus purs, il faut établir sur les faits une théorie assez indépendante des mots pour dominer les variations de la terminologie." Hac opinione fretus, de lustrationibus agens et piaculis, horum sacrorum rationem excogitavit ab artis vocabulis liberam omnino et solutam, eamque me iudice reiciendam.

Iam huic de verborum significatu inquisitioni finem faciamus. Res ipsae sunt aggrediendae. Quid sit piaculum, quemadmodum res significationi congruat, qui piacula cum lustrationibus et prodigiorum procurationibus conveniant quique ab iis discrepent, tertio capite huius disputationis enucleare conabor.

Prius autem ex ipsis Romanorum scriptis varia piacula, dispersa nonnumquam et oblivione obruta, eruenda sunt; quo facto utrum illis ratio quaedam insit et ordo recte institutus, videamus necesse est. Ordinem autem in iis observari posse, non miraberis. Piacula enim ad ius sacrum Romanorum pertinent.

CAPUT ALTERUM.

DE VARIIS PIACULORUM GENERIBUS.

Omnes ut de re universa dicam, tum huius aetatis viri docti, tum antiqui scriptores hac de re inter se consentiunt, piaculo fieri debere, cum agatur de iuris divini violatione.

Cum autem in iure constituendo iam inde ab antiquis temporibus Romani ea quae quis prudens et sciens peragit ab iis quae per imprudentiam et ab inscio peraguntur recte diiudicaverint, in piaculis quoque perscrutandis simile discrimen accurate nobis servandum erit. Etenim laesionis vi ac natura mutata, ea quoque quae ex iure divino cum illa laesione coniuncta sunt, mutentur necesse est.

Quare de utriusque violationis divini iuris piaculo separatim est disputandum.

Pars prior.

De piaculo sacri ab imprudente sive commissi sive committendi [1]).

Hoc prae ceteris videtur notandum, Romanis hanc consuetudinem fuisse, ut non modo iure divino reapse violato, sed etiam re licet nulla facta esset laesio, timore solum perductos, ne in quibusdam sacris ritu difficilioribus per imprudentiam a divinis aberrarent institutis, deos iam ante solemnia peragenda hostiis placarent piacularibus. Quas hostias *praecidaneas* esse nominatas postea videbimus.

Cum autem quae reapse fiunt iuris divini laesiones, aut intra sacra peragenda aut extra committantur, Romanis altera quoque est huius, altera illius violationis

---

1) Quod ad locutionem attinet *sacri commissi*, quae idem valet ac *divini iuris laesio*, cf. Cic. *de leg.* II 22.

piatio. Violatio enim intra sacra admissa, iterato sacrificio vel solemnis sacri instauratione, uti infra fusius explicabimus, legitimo iure piatur, quem quidem piandi modum iuris divini periti proprio vocabulo *hostiam succidaneam* et *instaurationem* vocare solebant. Violatio autem iuris extra sacra commissa, plerumque hostia piaculari piabatur, quod quidem sacrificium apte *piaculum commissi* appellare posse videmur, spectatis praesertim iis quae habet schol. ad Horat. *Od.* I 28. 34 *piacula dicebantur* (*hostiae*) *quibus facinus expiabatur commissum.*

Quare *de piaculo sacri ab imprudente sive commissi sive committendi* nunc latius disputaturi, primum dicemus de *piaculo commissi*, deinde de *hostia succidanea* et *instauratione*, denique de *hostia praecidanea.*

1. DE PIACULO COMMISSI.

Ut a re gravi initium faciam, iam inde ab antiquissimis temporibus piaculo tunc fiebat, cum quis aliquem imprudens occiderat. Servius in Vergil. *Ecl.* IV 43 haec annotavit *in Numae legibus cautum est, ut si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi agnatis eius in contione* [1]) *offerret arietem*, et in Vergil. *Georg.* III 387 *apud maiores homicidii poenam noxius arietis damno luebat, quod in regum legibus legitur.* Quam hostiam nonnulli sacrificium vicarium esse existimabant, teste Festo M 351 L 476 *subigere arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, caedatur.* Quae si sunt vera, merito colligimus arietem principio fuisse placamen manibus occisi. Quibuscum congruunt ea quae idem Festus habet M 347 L 470 *subigi ar[ies dicitur, qui pro occiso datur]* [2]), *quod fit ut ait Cincius [in libro de officio iuris]* [3]) *consulti, exemplo At[heniensium apud quos]* [4]) *expiandi gratia aries ma[ctatur].* Cum autem constet, uti postea de *sacris pru-*

---

1) Emendavit Huschke pro *et natis eius, in cautione.*
2) Suppl. C. O. Mueller.
3) Suppl. Lindsay.
4) Suppl. Scaliger.

denter commissis acturus planius explicabo, Romae, cum necaretur civis, institutum fuisse, ut Semoniae deae vervece bidente res sacra fieret [1]), non dubito quin homicidio ab imprudente perpetrato, aries quem antiquisimis temporibus occisi manibus mactatum esse existimo, labentibus annis vel eidem Semoniae, vel ipsi Telluri, vel alii deae, cui agricultura maxime cordi erat, piaculo sit oblatus. Idcirco deam dixi agriculturae faventem, quod constat semper Romanos sollicitos fuisse, ne Tellus mater, cui mortuos praecipue curae esse credebant, de quovis homicidio suppliciove capitali, frugum sterilitate poenas expeteret.

Magni momenti ea quoque piacula esse censebantur quae cum manium iure et sepulcrorum connexa erant, cf. Paul. *Sent.* I 21. 4 *qui corpus perpetuae sepulturae traditum vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit et solis radiis ostenderit, piaculum committit.* Nec aliter qui imprudens sine dolo malo violaverit sepulcrum piaculo dare debere ex eo maxime colligitur, quod ne reficere quidem monumentum fas est, nisi prius hostiam operis faciendi causa mactaveris [2]). Nec minus nefas habetur cadaver visum relinquere insepultum; ideoque qui inscius mortuo insepulto iusta non dedit, piaculum commisisse ex divino iure censetur, cf. Vergil. *Aen.* VI 149 sq.

praeterea iacet exanimum tibi corpus amici,
— heu nescis — totamque incestat funere classem,
dum consulta petis, nostroque in limine pendes.
sedibus hunc refer ante suis et conde sepulcro.
duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.

Iniuria Servius verba *ea prima piacula sunto* explicat *ad expiationem pollutionis, quae fuerat nata morte Miseni.* Etenim, ut a funeris pollutione socii purgarentur, rite *lustratio* postea a Corynaeo facta est, ut testis est ipse Ver-

1) Cf. Fest. M 309 L 404.

2) Cf. alteram huius capitis partem, ubi de *piaculis sacri prudenter commissi* dicturi sumus.

gilius v. 229 sq. Itaque *piacula* Aeneae iniuncta, non ad pollutionem spectabant, verum ad sacrum, quod vir pius commiserat, cum inscius amicum insepultum reliquisset [1]. Quae iuris violatio quam gravis fuerit, ipse Servius egregie docet ad Verg. *Aen.* VI 176 *qui enim de pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt: unde cum pontificibus nefas esset cadaver videre, magis tamen nefas fuerat, si visum insepultum relinquerent.* Magis igitur nefas habebatur, cadaver insepultum relinquere quam videre; quamquam aspectus ipse quoque cadaveris quanta religio fuerit inde facile colligitur, quod omnia acta censoris, si ante lustrum conditum mortui corpus forte esset intuitus, irrita esse iubebantur, teste Cassio Dione LIV 28. 4.

Piaculum is quoque committit, qui inscius domum iuxta vel supra monimentum mortui aedificat. Etenim *neque iuxta monumentum* ait Paul. *sent.* I 21. 12 *neque supra monumentum habitandi ius est: attactu enim conversationis humanae piaculum admittitur.*

Cum piaculis supra allatis arte cohaeret sacrificium illud quod ante fruges condendas fiebat quodque proprio nomine vocabatur *praecidanea porca*, quae, ut scribit Festus M 223 L 250, *Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non obiecisset, quia mos erat eis id facere, priusquam novas fruges gustarent* [2]. Gellius *N. A.* IV 6. 8 certiores nos facit, *porcam praecidaneam* ob alia quoque sacra commissa ad ius manium spectantia esse immolatam, sc. *si qui familiam funestam aut non purgaverant, aut aliter eam rem, quam oportuerat, procuraverant.* Quod idem docet Marius Victorinus VI 25 Keil *qui iusta defuncto*

---

1) Notandum est, piacula de quibus poeta loquitur v. 153 — quamquam revera sint *piacula sacri commissi* — ex altera parte tamen id quoque spectare, ut di inferi, antequam Aeneas descendat ad inferos, placentur propitienturque. De ipso sacrificio peragendo poeta agit vers. 236—263. Quod quidem sacrificium — prout a Sibylla imperatum — Argivo ritu esse factum, viri docti iure existimant. Quare ad hanc disputationem non pertinet. Cf. Norden, *Vergil: Aeneis Buch VI*, p. 198; Diels, *Sibyll. Blätter*, p. 69 sq.

2) Cf. quoque Fest. M 218 L 242 et Paul. M 219 L 243.

non fecerunt aut in faciendo peccaverunt, his porca contrahitur, quam omnibus annis immolari oporteat [1]). Sacrificium non Cereri tantum, sed etiam Telluri esse factum, Varro memoriae tradidit, cf. Non. Marc. M 163 L 240 *Varro de Vita Populi Romani lib. III 'quod humatus non sit, heredi porca praecidanea suscipienda Telluri et Cereri; aliter familia pura non est'*. Cum autem Romani timore semper angerentur ne aliquomodo iura manium laesissent, accidit ut singulis annis et stato tempore *praecidaneam* mactare consueverint, qua quidem de causa *praecidanea* inter sacra popularia est numerata, teste Festo M 253 L 298 [2]).

Haud levem difficultatem sacri Romanorum iuris studiosis, decretum affert notissimum P. Mucii Scaevolae, quod ab hominum oblivione vindicavit Cicero *de leg.* II 57 *itaque in eo, qui in nave necatus, deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non exstaret; porcam heredi esse contractam et habendas triduum ferias et porco femina piaculum pati; si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum et ferias.* Duo exempla mortis violentae a Mucio distinguuntur, quod utrumque si acciderit, familiam puram esse contendit. Etenim èt cum quis violenter necatus ab homicida in mare proiectus est, èt cum quis submersus est fluctibus, fieri non potest, ut os a mortuo resecetur; quo accepto heres quidem mortuo iusta dare posset, familia vero cum os supra terram extaret ita pollueretur, ut lustrationibus indigeret et suffi-

---

1) Multa erant in sepeliendo, quibus non rite peractis ius manium erat laesum ideoque commissum piaculum: *porcam praesentaneam* (Fest. M 250 L 296; Cic. *de leg.* II 57) dico, *exverreas* (Fest. M 78 L 68), *suffitiones* (Paul. M 3 L 3), *purgationes* (Vergil. *Aen.* VI 229), *sacrificium Lari familiari* (Cic. *de leg.* II 65), *sacrificium novemdiale*, quo parentalia concluduntur (Donat. ad Ter. *Phorm.* 40; Porphyr. ad Horat. *Epod.* XVII 48), cet. Vide De Marchi, *Il culto privato*, p. 194 sq. Notatu digna ea quoque sunt, quae tradidit Plinius *N. H.* XI 150 *morientibus illos (oculos) operire rursusque in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est, ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit et coelo ostendi nefas* et *N. H.* XIV 88 *Numae regis Postumia lex est: vino rogum ne respargito.*

2) Cf. Luebbert, *Comm. Pontif.*, p. 78.

mentis. Necato autem homine et deinde in mare proiecto cum constet mortuo iustis non datis iura manium esse laesa, porcus femina et feriae piandi gratia praescribuntur; et heredi quidem, quia heres cum hereditate officia omnia et religiones erga mortuum in sese recepisse iudicatur. Submerso vero homine fluctibus, laesio iuris nulla facta est ideoque nec piaculum praescribitur nec feriae. Attamen in utraque re, porca contracta est, id est iam singulis annis heredi *praecidanea* porca mactanda erit. Nemo enim, ut diximus, *praecidaneam* omittere audebat. De feriis autem, quae piaculi gratia praescribuntur, haec habet Macrobius *Sat.* I 16. 8 *sunt singulorum, uti natalium, fulgurumque susceptiones, item funerum atque expiationum; apud veteres quoque qui nominasset Salutem Semoniam Seiam Segetiam Tutilinam, ferias observabat* [1]).

Periurio quoque facto, cum quis insciens fefellit vel fraudavit, piaculari hostia fieri debere, recte demonstravit vir iuris Romani peritissimus, Danz [2]). Cuius viri docti placita non inepte comprobantur verbis Arnobii *adv. nat.* VII 9, cum acerbissimis facetiis bovem piacularem exclamantem facit *numquid iuravi per te falso ...? quaenam est ergo causa, ut alienum crimen meo luatur sanguine, et in nefas extraneum mea vita et innocentia producatur?* Adde Serv. ad Vergil. *Aen.* XII 242 *rogant ut (foedus) pro non facto sit, ne piaculum videantur admittere.*

Non multum a periurii piaculo piacularis ea victima differt, quae mactanda erat, cum miles a Romano duce procincta classe Dis Manibus Tellurique devotus, hostium telis interfectus non erat, cf. Liv. VIII 10. 12 *si is homo, qui devotus est, moritur, probe factum videri; ni moritur, tum*

---

1) Cf. Plin. *N. H.* XVIII 8 *is (Numa) et Fornacalia instituit farris torrendi ferias et aeque religiosas Terminis agrorum; hos enim deos tum maxime noverant, Seiamque a serendo, Segestam a segetibus appellabant, quarum simulacra in circo videmus — tertiam ex his nominare sub tecto religio est.* Vide Wissowa, *R. K.*², p. 201 n. 9.

2) Cf. Danz, *Der sacrale Schutz,* p. 97 sq.

signum septem pedes altum aut maius in terram defodi, et piaculum hostiam caedi; ubi illud signum defossum erit, eo magistratum Romanum escendere fas non esse. Ratio piaculi est, quod quamvis nullo dolo malo res contigerit, di tamen defraudati erant. Signum autem defoditur, quia devotus dis inferis sacer ideoque exsecratus et impius est; qua re, si summum ius in illum vindicaretur, non aliter ac κάθαρμα quod dicunt, esset sepeliendus.

Alia sunt piacula connexa cum lege, n e q u i d s a c r i p r o f a n e t u r. Nulla profanatio Romanis erat licita, nisi cum venderentur aut victimarum carnes, aut res sacrae sive templis sive aedibus addictae, eo tantum consilio, ut templum melius honestiusque esset. Quod si venditio templo non proderat, facile admittebatur piaculum; qua re, antequam templorum aediles rem sacrum venum darent, magistratus adeundi erant [1]). Cf. *C. I. L.* IX 3513 (Bruns[6], p. 261) in lege templi Furfensis *sei quod ad eam aedem donum datum donatum dedicatumque erit, utei liceat oeti, venum dare; ubei venum datum erit, id profanum esto; venditio locatio aedilis esto, quemquomque veicus Furfens(is) fecerit, quod se sentiat eam rem sine scelere, sine piaculo [vendere locare], alis ne potesto; quae pequnia recepta erit, ea pequnia emere conducere locare dare, quo id templum melius honestius seit, liceto.*

Locum in quo aedes facta erat, etiam diruto aedificio manere sacrum, testantur iuris periti Romanorum, cf. Papinian. *Dig.* XVIII 1. 73 *aede sacra terrae motu diruta locus aedificii non est profanus et ideo venire non potest,* Marcian. *Dig.* I 8. 6. 3 *semel autem aede sacra facta, etiam obruto aedificio locus sacer manet* [2]). Quibus cum testimoniis plane

---

1) Luebbert, *Comm. pontif.*, p. 78; Marquardt—Wissowa *R. St. V.* III, p. 148 sq. Notandum tamen est, cum Silvano fieret nullam victimarum profanationem fuisse licitam; quod iure affirmat A. Thomson, *Arch. f. Relig. Wiss.* XII 1909, p. 468, allato Catone *de agr.* 83 *ut res divina facta erit, statim ibidem consumito* et *C. I. L.* VI 576 (= Dessau 4915) *extra hoc limen aliquid de sacro Silvani efferre fas non est.* Cf. Wissowa, *R. K.*[2], p. 214.

2) Cf. Luebbert, *Comm. Pontif.*, p. 29.

concordat epistola Traiani ad Plinium (*Epist.* LXXI): *possumus apud Prusenses area ista cum domo collapsa, quam vacare scribis, ad exstructionem balinei uti. illud tamen parum expressisti, an aedes in peristylio Claudio facta esset; nam si facta est, licet collapsa sit, religio eius occupavit solum.* Cum igitur in locis sacris aedificia exstruebantur, graviter peccabatur. Etenim *quod sacrum est* ait Fest. M 280 L 350 *idem lege aut instituto maiorum sanctum esse putant, ut violari id sine poena non possit.* Nonnumquam autem contigisse, ut per imprudentiam in areis aedium dirutarum domus aedificarentur ideoque incurrerentur piacula, idem docet bos ille piacularis quem supra commemoravi: *numquid .... religiosa quaedam loca substructionibus pollui profanive privatis?* Cf. Arnob. *adv. nat.* VII 9.

Loca sacra ab hoste capta re ipsa profanata erant, ut clare indicant *Digest.* XI 7. 36 *cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra esse, sicut homines liberi in servitutem perveniunt; quod si ab hac calamitate fuerint liberatae, quasi quodam postliminio reversa pristino statui restituuntur.* Cum autem constet, locis sacris ab hoste captis, profanatione licet invitis ipsis Romanis ius divinum esse laesum, piaculo deos placari oportebat. Quo tempore di placarentur, profanata quoque loca esse lustrata et quasi ab hostium sordibus expurgata — sicut etiam Plataeis factum esse Plutarchus narrat (*Aristid.* XX) — in promptu est. Quare Livium V 50. 2 ubi sacra a Gallis capta et a Camillo expiata refert, voce *expiationis* piacula simul et lustrationes amplexum esse existimo: *rettulit et senatusconsultum facit, fana omnia, quoad ea hostis possedisset restituerentur, terminarentur expiarenturque, expiatioque eorum in libris per duumviros quaereretur.* Libri autem Sibyllini a Romanis adiebantur, cum ea piacula erant commissa quae ob magnitudinem sacri commissi prodigii loco habebantur, (cf. Liv. VIII 18; XXII 9; XXII 57). Quanta religio vero Romanis sacrorum locorum profanatio fuerit, inde facile colligitur, quod cum in loco sacro alterius numinis aedem aedificare vellent, prius deos, quibus ea loca antea dicata erant, ad alia templa evocabant, cf. Serv. ad Vergil.

Aen. IX 448 *in urbe Roma Iovis templum non fuit... Tarquinius.... coepit auguriis captare, qui mons huic templo esset aptissimus; et cum in omnibus Tarpeius esset inventus, in quo erant multa diversorum numinum sacella, actum est, ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis; quo posset libere et sine piaculo templum Iovis exaedificare.*

Nec levior profanatio Romanis erat amitti et ab hoste capi telum illud, super quod stans dux Romanus classe procincta sese dis inferis devovisset. Tum victimae piaculares Marti erant mactandae, cf. Liv. VIII 10. 14 *telo super quod stans consul precatus est, hostem potiri fas non est: si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri.* Quod telum [1]), ni fallor, locum tenebat Martis sacrarii, quod duces bellum gesturi precationis causa adire solebant, cf. Serv. ad. Verg. *Aen.* VIII 3 *is qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat; post hastam simulacri ipsius, dicens: Mars vigila.* Telum igitur ab hoste captum idem valebat ac si aedes ipsius Martis profanata esset.

Ad profanationem et illa lex pertinet, quae hostias ab aris profugas, persequi et occidere iubebat. Quod si victima capta non erat, piaculi erat contracta commissio. Nam hostia mole salsa aspersa iam dis sacrata erat et ab hominum usu aliena, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* II 104 *sacrorum est, ut fugiens victima, ubicumque inventa fuerit, occidatur, ne piaculum committatur.*

Iis quoque locis, ubi haruspices fulgur condiderant — quaeque ab ipsis haruspicibus *fulgur conditum,* a scriptoribus veteribus plerumque *bidental* dicuntur — facile ab inscio committebatur piaculum. Etenim vel intueri haec loca piaculare esse haruspicum libri proclamabant, cf. Amm. Marc. XXIII 5. 13 *hoc modo contacta loca nec intueri nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri,* Schol. ad Pers. II 27

1) Telum illud bene distinguendum est ab hastis, quae in Regia asservabantur et quarum unam nonnulli ob testimonia Varronis apud Clem. Alex. *Protrept.* 4 (VIII 136 M) Arnobii *adv. nat.* VI. 11 Plutarchi *Rom.* 29 ipsum Martem fuisse iudicant.

evitandumque bidental: bidental locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur; quem calcare nefas est. Quam ob rem et illum qui bidental ex agro suo amoverit impium haberi, testatur Horatius *Art. Poet.* 470 *utrum minxerit in patrios cineres, an triste bidental moverit incestus* [1]). Quae Horatii verba clare demonstrant, violationem conditi fulguris non minorem religionem esse habitam quam si quis iura manium laesisset. Nec mirum igitur, qui imprudens bidental calcaverit laeseritve piaculum commisisse. Quae de bidentalibus diximus in ea quoque loca valent, ubi fulgur non Etrusco sed Romano ritu erat conditum; quaeque veteres plerumque *puteal* vocabant. Consideranti enim, quae leges iam inde ab antiquis temporibus constitutae fuerint in eos qui fulmine erant occisi [2]), dubium non erit calcato puteali sacrum esse commissum gravi luendum piaculo. Lacum Curtium revera fuisse puteal Varro auctor est *de l. l.* V. 150 *Cornelius et Lutatius scribunt eum locum fulguritum et ex s. c. septum esse: id quod factum est a Curtio consule, cui M. Genucius fuit collega, Curtium appellatum* [3]).

Quam grave piaculum violatio luci fuerit, id clare indicat lucos fuisse capitales, ubi si quid violatum esset, caput violatoris expiaretur, teste Paulo M 66 L 57. Memoratu digna lex ea est, de qua postea plura sumus dicturi, luci Spoletini inquam, *C. I. L.* XI 4766 (Bruns[6], p. 260) *honce loucom ne quis violatod, neque exvehito neque exferto quod louci siet, neque cedito nesei quo die res deina anua fiet: eod die quod rei dinai causa [f]iat, sine dolo cedre [l]icetod; sei quis violasit, Iove bovid piaclum datod; sei quis scies violasit dolo malo, Iovei bovid piaclum datod et a(sses) CCC moltai suntod; eius piacli moltaique dicator[ei] exactio est[od].*

---

1) *Incestus* idem valet ac *impius*, cf. *Od.* I 12. 59 et III 2. 30.

2) Cf. Fest. M 178 L 190 *itaque in Numae Pompili regis legibus scriptum esse: 'si hominem fulmen occisit, ne supra genua tollito'; et alibi: 'homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet'.* Plin. *N. H.* II 145 *hominem ita exanimatum cremari fas non est, condi terra religio tradit.*

3) Cf. Luebbert, *Comm. Pontif.*, p. 51; Pauly—Wissowa, *R. E.* VII, c. 2447 (Thulin).

In festis diebus celebrandis Romani cum essent cautissimi, etiam feriarum pollutio licet ab imprudente commissa piaculo erat luenda. Varro *de l. l.* VI 30 *praetor qui tum* (*die nefasto*) *fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur,* VI 53 *fasti dies, quibus certa verba legitima* (*do dico addico*) *sine piaculo praetoribus licet fari; ab hoc nefasti, quibus diebus ea fari ius non est: et si fati sunt piaculum faciunt.* Macrob. *Sat.* I 16. 19 *sicut Varro in augurum libris scribit in haec verba: 'viros vocare feriis non oportet, si vocavit, piaculum esto'.* Serv. in Verg. *Georg.* I 270 *sane sciendum secundum Varronem contra religionem esse, vel si irrigentur agri, vel laventur animalia festis diebus: Nymphae enim sine piaculo non possunt moveri.* Gell. *N. A.* II 28. 2 *veteres Romani . . . in constituendis religionibus . . . castissimi cautissimique, ubi terram movisse senserant, nnntiatumve erat, ferias . . . . imperabant . . . eas ferias, si quis polluisset piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam 'si deo, si deae' immolabant, idque ita ex decreto pontificum observatum esse M. Varro dicit.* Macrob. *Sat.* I 10. 1 *bellum Saturnalibus sumere nefas habitum, poenas a nocente isdem diebus exigere piaculare est,* I 15. 21 *Kalendas Nonas et Idus religiosas . . . censuerunt; hi enim dies praeter Nonas feriati sunt, feriis autem vim cuiquam fieri piaculare est.* Festo quod non potest iterari intermisso, piaculum contractum est, teste Servio qui ad Vergil. *Aen.* VIII 173 *annua quae differre nefas, celebrate faventes,* haec annotat *anniversaria sacrificia: i. e. solemnia, ideo non differuntur, quia nec iterari possunt . . . nam Kalendaria, si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti nec piaculum eorum intermissione committitur.* Cum quibus conferenda sunt verba Liv. XXXIX 18. 8 *si quis tale sacrum solemne et necessarium duceret, nec sine religione et piaculo se id omittere posse, apud praetorem urbanum profiteretur* [1]).

---

1) Lactant. ad Stat. *Theb.* VIII 437 *(Matris Tauricae) cum simulacrum in Laconiam delatum fuisset, ne quod piaculum nasceretur inter-*

Venio iam ad sacerdotes. Ut paucis rem comprehendam: quodvis sacrum a sacerdotibus eorumve ministris in sacris officiis perfungendis negligentia admissum erat, piaculo luebatur. Qua lege omnes generatim tenebantur, ut auctor est Servius ad Vergil. *Aen.* IV 646 *et sciendum, si quid in caeremoniis non fuerit observatum, piaculum admitti;* quod Servii testimonium comprobat Arnobius *adv. nat.* IV 31 dicens piaculi esse contractam commissionem, *si per imprudentiae lapsum aut in verbo quispiam ... deerraverit,* et III 43 quo loco ostendit diligentia in ritibus observandis quam fuerit necessaria, *cum ignorantia rerum,* inquit, *personarum confusio deos offendat et cogat necessario piaculum contrahi.*

Quam severis legibus flamen et flaminica Dialis fuerint adstricti, nemo nescit [1]). Quaevis autem in hisce legibus observandis negligentia piaculo facto erat luenda. Ita Servius cum ad Vergil. *Aen.* I 305 narravit, flamini extra medium pomerium post solis occasum apicem ponere nefas fuisse, haec addit: *(timebat) ne piaculum incurreret, si † cum solis occasum, nudo capite, id est, sine apice inveniretur.* Ad Vergil. *Aen.* IV 646 idem Servius, commemorata alia lege, qua Flaminica vestum extollere vetabatur, ne crura nudarentur, *hic autem,* inquit, *piaculum admittitur.* Ad XII 120 adnotat: *cum Flaminica esset inventa tunicam laneam lino habuisse consutam,* constitisse *ob eam causam piaculum esse commissum.* Liv. V 52. 13 *de sacris loquimur et templis: quid tandem de sacerdotibus? nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur?.... flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas est.* Gell. *N. A.* X 15. 10 legem flamini Diali hanc singularem fuisse narrat: *si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est.*

Virgines quoque Vestae variis tenebantur religionibus, quibus per imprudentiam neglectis, piaculum committebant. Ita vel vas futile, quo aquam ad sacra Vestae hauriebant, in terra

---

missione solemnis sacrificii neve crudelitati Graeciae populus oboediret, inventum est, ut inter se impuberes pueri de sustinendis verberibus contenderent. Vides Romanum esse, qui interpretatur!

1) Cf. Pauly—Wissowa, *R. E.*, VI c. 2486 sq. (Samter).

ponere nefas erat, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* XI 339 *aqua ad sacra Vestae hausta in terra non ponitur: quod si fiat, piaculum est.* Conferendus Lactantius quoque ad Stat. *Theb.* VIII 297; Donatus ad Terent. *Andr.* 609 et ad *Phorm.* 746; Paulus M 89 L 79. 8.

Lis est inter viros doctos, quid sibi velit piaculum ni fallor antiquisimum, c i b i p r o l a p s i, de quo quaedam annotavit Plinius *N. H.* XXVIII 27: *cibus etiam e manu prolapsus reddebatur utique per mensas, vetabantque munditiarum causa deflare et sunt condita auguria quid loquenti cogitantive id acciderit; inter execratissima, si pontifici accidat dicis causa epulanti; in mensa utique id reponi adolerique ad Larem piatio est.* Quod sacrificium subobscurum Wissowa, *R. K.*², p. 162 sic explicat „ . . . *bei jeder Mahlzeit stellt man zum Danke für Speise und Trank den Penaten ein gefülltes Schüsselchen* (‘*patella*’) *auf den Herd oder wirft auch ihren Anteil an den Speisen in das Herdfeuer; durch dieses Opfer erhält die Gesamtheit der aufgetragenen Speisen eine religiöse Weihe und darum bedarf es, wenn ein Bissen von ihnen zur Erde fällt, einer Sühnung, die in der Weise erfolgt, dasz der Bissen, ohne gereinigt zu werden, wieder auf den Tisch gelegt und dann im Herdfeuer verbrannt wird.*" Non dubito quin ipsum Plinium si interrogasses, quid de hoc piaculo sentiret, haud multum a Wissowa dissensisset. Etenim cum constet Romanos nonnumquam sacras fecisse mensas salinorum apposità et simulacris deorum (Arnob. *adv. nat.* II 67), patellis primitias dis cum sale obtulisse (Porphyr. ad Hor. *Od.* II 16. 13), cena edita sublatisque mensis, quae de cena libata essent, ad focum tulisse et dedisse in ignem, quo deos redderent propitios (Serv. ad Verg. *Aen.* I 730), iure dici potest, generatim pertinuisse cenas ad cultum privatum et domesticum, in quo si quid sacri erat commissum, di penates piaculo erant placandi. Larem autem, de quo loquitur Plinius, penatium vice fungi variis scriptorum testimoniis Wissowa probavit. Sane alia quaestio est, quid ipsi Romani de Laris piaculo senserint, alia autem unde Laris piaculum naturaliter originem duxerit.

Hoc si quaeritur, haud multum abesse a vero existimo, qui contendant, quae ex mensis atque e manibus prolapsa erant, laribus i. e. lemuribus fuisse donum; quod munus ut laribus redderetur, Graecae quoque et Prussianae erat consuetudinis [1]). Saepe enim accidit, ut species quidem rei sacrae maneat et figura, ratio autem illa specie significata sensim mutetur in aliam a priore illa diversissima. Laribus, geniis penatibus piacula saepe esse oblata, indicat codex quoque Theodosii XVI 10. 12 *nullus omnino . . . secretiore piaculo larem igne, mero genium, penates odore veneratus accendat lumina, imponat tura, serta suspendat.*

Restat ut quaedam dicamus de feriis piacularibus. Sunt singulorum, gentium, reipublicae.

De feriis singulorum iam breviter locutus sum, de manium iure agens et sepulcrorum (p. 42 sq.).

Quod ad gentes attinet, et Claudiae genti et Horatiae scimus piaculum quoddam fuisse proprium et singulare. Apud Fest. M 238 L 274 haec habes: *propudialis porcus dictus est, ut ait Capito Ateius, qui in sacrificio gentis Claudiae velut piamentum et exsolutio omnis contractae religionis est.* Propudium autem teste Paulo M 227 L 253 est *quasi porro pudendum* seu aliis verbis *cuius rei pudet* = *contracta religio* = *sacrum commissum* = *piaculum. Propudialem* igitur *porcum* (non aliter ac *porcam praecidaneam*) nomen esse feriae piacularis, qua Claudia gens sese a sacris per annum commissis expiaret, iure existimandum est. Genti autem Horatiae proprium erat piaculum in monte Oppio apud Tigillum Sororium, quod singulis annis Kal. Octobr. Iano Curiatio et Iunoni Sororiae dabatur, ut fratrum Arvalium acta testantur, cf. Henzen *Act. Fr. Arv.* p. CCXXXVIII. Quod si rem intimam spectaveris, non dubitabis quin huius piaculi causa et ratio fuerit soror olim in Horatia gente

---

1) Cf. Wissowa, *R. K.*², p. 162, n. 2; Rohde, *Psyche*, I p. 245, n. 1. Samter, *Arch. f. Relig. Wiss.* X 1907, p. 373 sq.; Wissowa, *Arch. f. Relig. Wiss.* VII 1904, p. 45; Otto, *A. L. L.* XV 1906, p. 114. Quoad Graecos cf. Athen. X 427 E.

interfecta. Piaculo coniuncta erat lustrandi quidam ritus, cum expiandus mittebatur sub tigillum [1]).

Reipublicae piacula ea erant quae apud πύλην Φερεντίνην statutis temporibus ob legatos olim occisos fieri consuevisse memoriae tradidit Plutarchus *Rom.* 24. Quodsi vocem πύλην ab ipso Plutarcho scriptam esse iudicas, nec potius ὕλην quod Becker proponit, satis credibile est piacula a Plutarcho commemorata eadem esse atque ea de quibus Paul. M 212 L 235: *piacularis porta Romae dicta propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant.* Ferentina autem et Horatiae gentis sacrificia placatoria haud multum inter se discrepare, manifestum est: utrobique enim fere eadem est causa piaculi. Illud tantum bene tenendum est, tum Ferentina tum gentis Horatiae piacula, prout gentis erant et reipublicae, revera fuisse piacula sacri ab inscio commissi.

Inter ferias piaculares Parilia quoque habenda sunt, quae agebantur a pastoribus die 21 mensis Aprilis, cum hibernis ovilibus relictis, in silvis iterum molliora quaererentur pascua [3]). Quamquam viri docti plerumque censent festa haec pastoralia lustratione tantum contineri, re attentius inspecta, plane apparet ea partim constare ex lustratione, partim ex piaculo. Aliud enim est lustratio, „desinfectio" ut ita dicam, hiberni ovilis, aliud Palis piatio ob sacra per annum praeteritum commissa. De lustrationis ritu vide Ovidium *Fast.* IV 735 sq., 781 sq.; lustrabantur oves ovilia ipse pastor, aqua sulphure lauro igne. Quae quamquam disputatione dignissima sunt, tamen praetermitto. De piaculari enim festi parte nobis agendum est.

Parilia pastoribus quasi novi anni sunt initium; nam Parilium die pecus omne ex hibernis ovilibus demissum nemora iterum incursat [4]). Hisce versibus diem illum celebrat Calpurnius *Ecl.* V 16 Baehr. *P. L. M.* III p. 90:

---

1) Cf. Liv. I 26. 12; Fest. M 297 L 380; Paul. M 307 L 399; testimonia varia collegit Wissowa, *R. K.*², p. 104, n. 4.

2) Cf. Jordan *Top.* I 1, p. 227; Roscher *M. L.* I 1475 (Steuding).

3) Cf. Wissowa, *R. K.*², p. 199 sq.

4) Cf. etiam Calp. *Ecl.* V, 103, 108, 109 Baehr. *l. l.*, p. 93 sq. et Cat. *de agr.* 83.

. . . . vere novo, cum iam tinnire volucres
incipient nidosque reversa lutabit hirundo,
protinus hiberno pecus omne movebis ovili.
tunc etenim melior vernanti germine silva
pullat et aestivas reparabilis inchoat umbras,
tunc florent saltus viridisque renascitur annus.

Hoc igitur pastoralis anni initio deae Palis pax et venia expetenda erat, ne ob sacra per annum praeteritum in pascendis ovibus commissa consulere pecori recusaret pastoribusque, cf. Calp. *Ecl.* V. 24

sed non ante greges in pascua mitte reclusos
quam fuerit placata Pales.

Placabatur autem dea silvicola liba, dapibus, lacte tepido, cf. Ovid. *Fast.* IV 743. Precationis autem solemne carmen, ab Ovidio poeticis verbis expositum, cum Catonis carmine, quod in conlucando luco dicebatur, omnino congruit. Etenim duabus continetur partibus: sacrorum commissorum commemoratione atque precatione veniae. Ideo imprimis notatu dignissimum carmen est, cum doceat quae et qualia piacula a pastoribus in pecore pascendo incurri potuerint, cf. IV 749

sive sacro pavi sedive sub arbore sacra
pabulaque e bustis inscia carpsit ovis,
si nemus intravi vetitum, nostrisve fugatae
sunt oculis nymphae semicaperque deus,
si mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
unde data est aegrae fiscina frondis ovi:
da veniam culpae. nec dum degrandinat, obsit
agresti fano supposuisse pecus.
nec noceat turbasse lacus. ignoscite nymphae
mota quod obscuras ungula fecit aquas.

Spectant uti facile videre est piacula omnia ad manium sepulcrorum fanorum lucorum iura [1]).

---

1) Notandum est piacula haec non omnia esse sacri ab imprudente commissi, sed etiam sacri a prudente commissi, verum iustas ob

Versus autem 759—776 poetice exornant quae soluta oratione apud Catonem *de agr.* 139 his verbis enuntiantur: *precor, uti sies volens propitius mihi domo familiaeque meae liberisque meis.*

Parilium solemnia fuisse vetustissima inter alia eo probatur quod sacrificia Pali facta cruenta non erant. Paulatim incruentis cruenta etiam hostia addita est, quod probat Calp. *Ecl.* II 63 Baehr. *P. L. M.* III p. 75

saepe cadit festis devota Parilibus agna

tum praesertim V 27 Baehr. *l. l.* p. 90

. . . . *tepidos tunc hostia cultros*
imbuat: hac etiam dum vivit, ovilia lustra [1]).

Vides autem agnae sacrificium lustrationem potius fuisse quam Palis piaculum.

Verum iam absolutis quae de variis generibus piaculorum commissi dicenda erant, ad *hostiam succidaneam* et quae cum ea cohaeret *instaurationem* transibimus.

2. DE HOSTIA SUCCIDANEA ET INSTAURATIONE.

Veteres inter grammaticos lis erat essetne *succidanea* a verbo *succidendi* an a verbo *succedendi* derivanda. Paulus M 303 L 393 Festi verba non tantum excerpsit, sed etiam quodammodo mutilavit, haec exscribens: *succidanea hostia dicebatur, quae secundo loco caedebatur, scilicet sic appellata a succedendo.* Etenim ex truncis Festi reliquiis apparet utramque vocis originem ab eo esse indicatam; nam non multum a vero videtur aberrare C. O. Mueller, verba Festi sic explens: *[succidanea hostia ap]pellatur, quae [secundo loco caeditur], quod quasi [sub priore caedatur;] quidam a suc[cedendo, non a succi]dendo dictam [putant].* Derivationem autem eam, qua *succidendi* vox *succedendi* voci praefertur, veram esse

causas et absque dolo malo. De sacris a prudente absque dolo malo commissis vide infra in capitis huius parte altera.

1) Wissowa, *R. K.*², p. 200 n. 11 minus recte, ut opinor, Calpurnium errasse putat.

et genuinam tum re ipsa perspicuum est tum approbatur testimonio Gellii *N. A.* IV 6. 5 *succidaneae appellatae, quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliae post easdem ductae hostiae caedebantur: quae quia prioribus iam caesis luendi piaculi gratia subdebantur et succidebantur, succidaneae nominatae.* Quae succidaneae hostiae definitio eo valde probatur, quod non tantum vocem, sed et rem atque rei originem explicat, scilicet hostiam iterari *luendi piaculi causa,* id est *ob sacrum commissum.* Addit autem Gellius alia quaedam de litatione, quae quoniam a nonnullis viris doctis non recte intelliguntur, amplius tractanda sunt et explicanda.

Blecher [1]) vir doctissimus postquam claris verbis exposuit, quid *extispicium* in Romano ritu, quid valeret in Etrusco, ita pergit: „*Si recte adhuc conclusimus, Arvales ii erant, qui hostiae inspiciebant exta adhaerentia, ut eam 'probarent' priusquam deae offerrent. Si non suffecerat hostia huic probationi, h. e. si non 'litaverat', omnino non offerebatur, nam ad sacrificandum non accepta erat. Immo altera mactabatur hostia, quae vocabatur 'succidanea'. Quod fieri solebat usque ad 'litationem' h. e. 'donec apta inventa esset hostia'. Quibus rebus demonstratur verbum 'litare' significare: probationi et corporis et extorum sufficere. Atque id verum esse, optime illustratur verbis Plinianis (N. H. VIII 183): 'quam ob rem victimarum probatio in vitulo, ut (cauda) articulum suffraginis contingat; breviore non litant',*" et p. 222 infra: „*quae si recte se habent, in litatione illa, quae erat forma mere Romana probationis, situs et color extorum inspiciebantur, quod facillime fieri potuit, dum exta erant adhaerentia. Posteriore aevo, quod compluribus testimoniis nobis illustratur, postquam extispicium Etruscorum acceperunt Romani, res aliter se habet. Mactantur quidem eo quoque tempore hostiae succidaneae sed vel nullam vel aliam habent vim. Ita secundo bello Punico Marcello sacrificante laetissimis succidaneae extis omnino nihil tribuebatur (Liv. XXVII 26; Plut. Marc. 29; Val. Max. I 6. 9). Contra*

1) Blecher, *De extispicio capita tria,* p. 221.

Petillius ineunte saeculo a Chr. n. secundo e succidanearum extis deprompsit signa (Liv. XLI 15). Ciceroniano porro aevo succidaneae hostiae vim a primitiva plane alienam acceperant. Hoc concludimus ex eo, quod Cicero (de div. II 38) miratur 'inconstantiam deorum, qua primis minentur extis, bene promittant secundis'. Unde elucet illo aevo praeter succidaneam priorem quoque hostiam vim quandam retinuisse, cum antiquissimis temporibus, ubi primum succidanea mactanda erat, prima hostia, quia non accepta fuerat ad sacrificandum, omnino nihil valuisset. Hoc autem posteriore aevo sibi fingebant maioribus hostiis pro succidaneis immolatis primae hostiae omina quasi superanda et deorum animos flectendos esse (Müller, Etrusker II² p. 186 sq.). Reservabatur autem prisca formula 'usque ad litationem sacrificare', sed mutabatur sensus, cum illis temporibus haec fere subaudirent: 'donec dei auctis hostiis superati bona mittant signa'."

Ipsa viri doctissimi verba quamquam paulo longiora posui, quia licet ex altera parte sint verissima, ex altera tamen multa continent, quae origo esse possint falsae omnino opinionis. Iure Blecher — etenim toto coelo distant — Romanorum extispicii et Etruscorum discrimen facit. Nam quod ad modum: Romani inspiciunt exta adhaerentia, avulsa a corpore Etrusci; quod ad rem: Romani ob id solum exta inspiciunt, ut videant sintne sana necne, Etrusci difficillimae cuiusdam disciplinae obtemperantes legibus, exta inspiciunt, ut tum ex situ tum ex aliis signis bona divinent et mala; aliis verbis: extispicium Romano ritu extiprobatio est, ritu Etrusco exticonsultatio divinatiove. Haec quidem vir doctus verissime, verum de altera quaestione, quid ritu Romano sit probatio, quid litatio, prorsus ab eo dissentio. Ut paucis complectar, Blecheri sententia haec est: probationem hostiae exterioris, quae fit ante immolationem, et probationem hostiae interioris sive extorum, quae fit post immolationem, re non differre, nisi hoc solum quod haec interna sit illa externa; hostiam autem non litare nisi utrique probationi suffecerit; litationem igitur hostiae nil aliud esse nisi *acceptationem hostiae ad sacrificandum;* alterutra autem probatio cum male successerit *non adesse litationem* sive *hostiam primam non*

esse acceptam; quod si contigerit i. e. si hostia prior non valuerit, opus esse hostia succidanea. Quae viri docti placita cum minus recta mihi videantur, tum de litatione tum de probatione pauca dicam, quibus notionem succidaneae melius perspici posse confido.

Quaeritur igitur primum, quid sit l i t a t i o.

Litationem nihil aliud esse nisi *deorum placationem* ipsa vocis derivatio demonstrat. Cf. Walde, *Lat. Etym. Wört.*², p. 436: „*'unter günstigen Vorzeichen opfern; sühnen versöhnen': wohl nach Prellwitz Wb. zu gr.* λιτή *'Bitte'*, λίσσομαι, λίτομαι, *'flehe'* λιτανεύω *ds.* λίτανος *'flehend'*." Quare recte Servius ad Vergil. *Aen.* II 119: *litare: verbo pontificali usus est, id est, sacrificiis deos placare;* IV 50 *deos sacris litamus, id est placamus;* Macrob. *Sat.* III 5. 4 *litare, quod significat sacrificio facto placasse numen.* Quibus cum testimoniis comparandum est illud Livii lib. XXVII 23. 4 *sine litatione . . . non impetrata pace deorum.* Nec Plinius *N. H.* VIII 183 litationem aliter explicat. Quod facile intelliges, si praeter verba a Blechero allata, ea quoque quae sequuntur, in orationis contextu consideraveris. Sunt enim haec: *quam ob rem victimarum probatio in vitulo, ut articulum suffraginis (cauda) contingat; breviore non litant. Hoc quoque notatum vitulos ad aras umeris hominis adlatos non fere litare, sicut nec claudicante nec aliena hostia deos placari nec trahente se ab aris.* Vides primum Plinium voce *litandi* non tantum usum, cum de probatione externa aut interna agatur, sed etiam cum agatur de sacris quibusdam commissis; deinde loco allato *litare* idem valere ac *placare deos*; denique verba Plinii *breviore non litant* vim habere conditionalem, hoc est: *Si* immolatur hostia, cui articulum suffraginis cauda non contingat, sacrificium *deum non litat* = *sacrificio deus non placatur* = *commissum est piaculum.* Habemus ergo [1]), ut velut mathematice rem proponamus: *sacrificium litat* = *sacrificium placat* = *sacrificatio grata dis est; sacrificium non litat* = *sacrificium non placat* = *sacrificatio*

1) Quoad litationem vide Wissowa quoque, *R. K.*², p. 418 sq., qui tamen nimis anguste rem intelligit.

grata dis non est, vel si rem ex parte hominum consideras: *piaculum commissum est* [1]).

Quando vero de Etrusco agitur ritu, in quo divinatio cum male successerit succidaneae subduntur et succiduntur, angustius valet *litatio* et nil significat nisi: *extis divinationem bene cessisse*. Quam angustiorem notionem respiciens Lactantius ad Stat. *Theb.* X 610 inter *litare* et *sacrificare* hoc modo distinguit: *sacrificare est hostias immolare; litare vero per immolationem hostiarum impetrare quod postules.*

Transeamus iam ad alteram quaestionis partem, quid sit extiprobatio [2]).

Quamquam Blecher recte contendit Romano ritu extispicium non esse consultationem, sed nil nisi probationem, errat tamen, ni fallor, inde colligens, probationem extorum sive interioris hostiae ac probationem hostiae exterioris eandem habere naturam atque rationem. Etenim si ius sacrum spectas, non agendi modo solum et tempore, sed re ipsa inter se differunt. Quod facile intellectu est: nam exterioris hostiae probatio cum antecedat immolationi, non est pars ipsius sacrificii et fit de re profana; extorum vero probatio immolationem cum sequatur, pars est ipsius sacrificii et rem attingit sacratam. Immolationi autem antecedere exterioris hostiae probationem licet re ipsa iam satis pateat, lucide probant varia veterum testimonia: Cic. *de leg. agr.* II 93 *erant hostiae maiores in foro constitutae, quae ab his praetoribus de tribunali, sicut a nobis consulibus, de consilii sententia probatae, ad praeconem et tibicinem immolabantur*; Fest. M 186 L 202 *optatam hostiam, alii optimam, appellant eam, quam aedilis tribus constitutis hostiis optat, quam immolari velit.* Tertull. *ad nat.* I 10 (I 644 M) *Gabinius consul Kalendis Ianuariis, cum vix hostias probaret, prae*

1) De voce *sacrificationis* cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* IV 219 collato IV 646. Notandum hoc quoque est, sacrificia non semper male litasse ob piacula directe in ipso sacrificii ritu commissa. Fieri enim potuit, ut di alias ob causas essent irati. Sed tum indirecte saltem in ipso sacrificio piaculum committebatur. Nam tale sacrificium dis displicebat, et ideo impie fiebat licet ab inscio.

2) Cf. *probationem praecordiorum*, Tertull. *Apol.* 30 (I 507 M).

popularium coetu, quia nihil de Serape et Iside constituisset, potiorem habuit senatus censuram quam impetum vulgi et aras institui prohibuit.

Immolatione vero ipsa, non alio ritu, hostias dis sacrari et e profanis sacratas fieri, auctor est Paulus M 110 L 97 *immolare est mola, id est farre molito et sale, hostiam perspersam sacrare.* Quare Vergilius *Aen.* XII 213 pecudes immolatas *rite sacratas* iure nominat. Quam immolationis vim si bene perspexeris iam facile intelliges, quae causa fuerit cur victima si ab ara effugisset, piaculi esset contracta commissio (cf. Paul. M 244 L 287), captaque effugia esset interficienda (Serv. ad Vergil. *Aen.* II 104); cur ex altera parte minime valeret eadem lex, si in priore probatione animal non esset acceptum. Quae si recte sese habent, iure dicendum est, in ritu Romano probationem priorem rei natura ab extorum probatione discrepuisse. Itaque cum in extis inspiciendis apparuerat sana ea non esse, non tantum — uti Blecheri verba afferam — *hostia non valebat*, sed cum res vitiosa dis esset immolata atque consecrata, piaculum erat commissum haud exiguum, quod hostia nova necessario luendum erat. Quae una hostia, ut statim videbimus, duplicem vim habebat, renovationis dico et piaculi, cf. infra p. 64.

Nonnumquam videtur evenisse, ut hostia consternaretur, cum in ipsa immolatione ministri eam vino aspergebant, quae aspersio immolationis pars erat necessaria. Quod si talem victimam sacrificare pergebant, piaculum committebatur; nam reluctans hostia dis grata non erat. Aspersionem illam, quam Servius *victimae explorationem* vocat, nonnulli pro tertia probatione hostiae habent, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* IV 61, VI 244.

De probatione et litatione haec hactenus; agendum nunc de variis causis cur succidanea hostia opus fuerit.

Ex iis quae supra exposui, illud generatim efficere licet, succidaneas Romano ritu esse mactatas, cum non litavissent, hoc est, cum in sacrificando piaculum quodcumque admisissent. Quae autem singulares causae fuerint cur in sacrificando sacrum committeretur, paulo latius exponere non erit inutile.

a. De vitiis ex parte hostiae.

Piaculum committi, cum exta probationi non satisfaciant, supra satis explanavi; item cum hostia in sacrificando reluctetur consterneturque. Si hostia invita altaribus admota tamen ab imprudente mactatur, sacrum committitur, ut testatur Plinius *N. H.* VIII 183; talem hostiam dis ingratam veteres existimabant, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* IX 627, ad *Georg.* II 395; Martial. IX 31. 5; item Macrob. *Sat.* III 5. 8 *observatum est a sacrificantibus, ut si hostia, quae ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant.* Aetatem quoque praescriptam [1]) victima si non habuit, succidanea opus est, quod tradit Plinius *N. H.* VIII 183. Valet eadem lex, cum rituum officia miscentur, cf. Arnob. *adv. nat.* III 43 *etenim si hic atram ille albam desiderat pellem,... ignoratio rerum ... cog(it) ... necessario piaculum contrahi,* VII 21 *si caper caedatur Iovi, quem patri solemne est Libero Mercurioque mactari, aut bos si sterilis Unxiae quam Proserpinae tribuitis ... confundi haec, inquit, fas non est, nec piaculi parvi est officia rituum procurationumque miscere;* Macrob. *Sat.* III 10. 7 *Ateius enim Capito ... adiecit haec verba: 'si quis forte tauro Iovi fecerit piaculum dato'* [2]). Quare Cic. *de leg.* II 29 *iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis.* Causas alias succidaneae mactandae tradidere Servius et Festus: Serv. ad Vergil. *Aen.* II 140 *hostia, quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, effugia vocari vetere more solet: in cuius locum quae supposita fuerat succidanea.* Effugia interficienda est; si minus, piaculum committitur, uti antea explicavi. Paul. M 245 L 287 *piacularia auspicia appellabant, quae sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara effugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret, cecidisset.*

---

1) De hostiarum aetate cf. Plin. *N. H.* VIII 183 et 206; Varr. *de r. r.* II 1. 20.

2) Cf. tamen *C. I. L.* II 606.

b. De vitiis ex parte sacrificantis.

Sacrificans externe saltem mundus sit necesse est; manus vestimenta sint pura, cf. Liv. XLV 5. 4 *omnis praefatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, sacris arceat.* Vide etiam I 45. 6 et Paul. M 248 L 293 *pura vestimenta sacerdotes ad sacrificium habebant, id est non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculam habentia* [1]). Ut de re universa loquar, omnis negligentia in sacrificio peragendo *succidaneam* postulat, cf. Arnob. *adv. nat.* IV 31 *piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiae lapsum aut in verbo quispiam aut simpuvio deerrarit,* III 43 *huic capite velato, illi sacrificandum est nudo ... cum ignoratia rerum ... cogat ... necessario piaculum contrahi;* Plut. *Coriol.* 25 θυσίας δὲ καὶ πομπὰς καὶ θέας οὐ μόνον ἐξ αἰτίας τηλικαύτης, ἀλλὰ καὶ διὰ μικρὰς Ῥωμαίοις ἔθος ἐστὶν ἀναλαμβάνειν ... ἐν δὲ τοῖς κάτω χρόνοις μίαν θυσίαν τριακοντάκις ἐποίησαν, ἀεί τινος ἐλλείμματος ἢ προσκρούσματος γίνεσθαι δοκοῦντος. Ara quoque sacerdoti tangenda erat, si minus piaculum incurrebat, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* IV 219 *necesse enim aras a sacrificantibus teneri: quod ni fieret, diis sacrificatio grata non esset.*

c. De vitiis ex parte circumstantium.

Sacrificium nullo modo interrumpatur necesse est, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* VIII 110 *ne interruptione sacrificii piaculum committatur.* Cf. quoque III 407 et Plut. Coriol. 25 ὅταν γὰρ ἄρχοντες ἢ ἱερεῖς πράττωσί τι τῶν θείων, ὁ κῆρυξ πρόεισι μεγάλῃ φωνῇ βοῶν: ὃκ ἄγε. σημαίνει δ' ἡ φωνή: τοῦτο πρᾶττε, προσέχειν κελεύουσα τοῖς ἱεροῖς καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξύ. Senec. *de vit. beat.* 26 *favete linguis; hoc verbum ... inperat ... silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce male obstrepente.* Vide et Plin. *N. H.* XXVIII 11. Absint a sacrificio hostes, impii, profani, cf. Lactant. *D. I.* IV 27 (VI 532 M) *nam cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant* [2]). Itaque

1) De munditie plura apud Marquardt-Wissowa, *R. St. V.* III p. 175.

2) Plura testimonia apud Marquardt-Wissowa, *l. l.* p. 175 sq. Notatu dignum illud quoque Lactantii ad Stat. *Theb.* I 678 *inter sacra fateri* (nomen infaustum Oedipodis) *piaculum est.*

prospiciebant Romani, ne sacrorum ministri infausto nomine vocarentur, Cic. *de div.* I 102; Plin. *N. H.* XXVIII 22; *Hist. Aug. Get.* III 9. Succidanea denique opus erat, cum pontifices diebus festis viderant opifices, *assidentes opus suum*, qua re deorum caeremoniae *attaminarentur*, cf. Serv. ad Verg. *Georg.* I 268; Fest. M 224 L 250 *ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra pollueerentur.*

d. De iteratione ob prodigia facta inter sacra peragenda.

Ubi sacrificantibus fiunt prodigia, succidanea mactanda est, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* III 231 *sane sciendum, iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum: nam displicuisse prima ex prodigiis indicatur.* Iteratio ob prodigium facta, cum Gracchus ritu Etrusco, ni fallor, sacrificaret, a Livio traditur XXV 16. 1 et a Valerio Maximo I 6. 8.

Investigandum nunc nobis est quoties succidaneae Romanis fuerint iterandae.

Romanos antiquis temporibus sacrificia ob defectus rituum ac negligentias vel tricies iterasse, auctor est Plutarchus *Coriol.* loco modo laudato. Quod testimonium eo magis mihi probatur, quo certius constat significari Plutarchi verbis sacra commissa, minime vero divinationes infaustas, quae non ad Romanam, sed ad Etruscorum pertinent disciplinam. Alii autem scriptores veteres cum de succidaneis loquuntur, plerumque spectant exticonsultationem haruspicum. Exempla sunto: Liv. XXVII 23. 4, XLI 15. 3; Suet. *Caes.* 81; Appian. *B. C.* III 115 et 116. Nonnulla vero testimonia incertum relinquunt, utrum de Romanorum ritu agatur an Etrusco. Sic Plaut. *Poen.* 452.

nam ego hodie infelix deis meis iratissimis
sex immolavi agnos, nec potui tamen
propitiam Venerem facere, ut esset mihi.

Vide et Symmachun *Ep.* I 49 (XVIII 165 M) nec aliter scribentem ac si antiquus etiam tum religionis Romanae esset status: *sacrificiis multiplicibus et . . . saepe repetitis nec-*

dum publico nomine Spoletinum piatur ostentum; nam et Iovem vix propitiavit octava mactatio, et Fortunae Publicae multiiugis hostiis nequidquam undecimus honor factus est. Quidquid id est, spectato Plutarchi testimonio, affirmare non dubitaverim e disciplina Romana semper usque ad perlitationem fuisse sacrificandum. Quod insuper ipsius succidaneae ratio ac natura dilucide ostendit. Etenim *piaculi gratia* mactatur succidanea, aut quod sacrum in peragendis caeremoniis est commissum, aut quod di ipsi sacrificantibus iram ob ius laesum prodigiis ostendunt. Cum autem qui iure divino violato deos placare recusat, ab omnibus impius habendus sit, sequitur ut, quin graviter di offendantur, debita iteratio ritu Romano numquam omitti possit.

In Etruscorum autem disciplina succidaneae ratio plane diversa est; quo ritu plerumque sacrificant rem gesturi, ut extis inspiciendis deorum voluntatem exquirant. Si exta infausta sunt, tum aut succidaneis opus est, ut propitientur di et exorentur aut id cuius rei causa exta consulta sunt, peragere non licet, cum non nisi dis auctoribus propitiisque rem aggredi fas sit. Sequitur ex Etruscorum placitis perlitationem non esse necessariam; si quis tamen sine litatione ad res gerendas proficiscatur, spreta religione in deorum iram noverit se incursurum, cf. Suet. *Caes.* 81 *pluribus hostiis caesis cum litare non posset, introivit curiam spreta religione.* Quo cum testimonio compares velim verba Livii (VI 1. 12) narrantis, exercitum populi Romani gravem cladem accepisse, cum Sulpicius sine litatione nec inventa pace deorum dimicasset. In haruspicum autem ritu perlitationem non semper esse praescriptam, non tantum docet ipsius succidaneae natura ac ratio, sed et ipse Livius XLI 15, 3, ubi memoriae tradit, senatum, cum consul se tribus bubus perlitasse negasset, maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussisse. Nam si ex sacro haruspicum iure perlitatio praescripta fuisset, certissime nec consul litationis moram nuntiasset, nec speciale decretum senatus necessarium fuisset. Quae in dubium revocare si quis maluerit, legat quae verba statim Livius addit: *ceteris diis perlitatum ferunt, Saluti Petilium perlitasse negant.*

Quales fuerint succidaneae, Cato *de agric.* 141, 4 docens qui agrum lustrare oporteat, bene ostendit; *si minus*, inquit, *in omnis litabit, sic verba concipito: 'Mars pater, si quid tibi in illisce suovitaurilibus lactentibus neque satisfactum est, te hisce suovitaurilibus piaculo'; si in uno duobusve dubitabit, sic verba concipito: 'Mars pater, quod tibi illoc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo'*. Quibus Catonis verbis plane demonstratur succidaneam simul esse instaurationem sacrificii et sacri commissi piaculum. Iniuria igitur succidaneam et piaculum ut rem a re distinguunt Wissowa et Warde Fowler. Wissowa, *R. K.*², p. 393: „*Zunächst ist die Darbringung an die Gottheit, bei deren Begehung etwa ein 'Piaculum' vorfiel, ohne weiteres ungültig, sie wird als nicht geleistet angesehen und musz wiederholt werden; der Schuldige hat aber eine Strafe verwirkt.*" Warde Fowler, *Religious Experience*, p. 190: „*The culprit... had to get rid of this sin or impurety by another sacrifice before the whole ritual could be started afresh* (*'instaurare'*) [1]). Hoc quoque notatu dignum est, in maioribus sacrificiis peragendis cum in parte aliqua esset peccatum, solam hanc partem non totum sacrificium instaurari debuisse, quod et postea, de ludorum instauratione disputantes, videbimus.

Mira quaedam traduntur a Servio ad Vergil. *Aen.* VIII 641: *iungebant foedera porca... falso autem ait porca: nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur; ergo aut usurpavit genus pro genere... aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris feminini generis plus valent victimae: denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina: si autem per feminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat.* C. Krause in disputatione, quae inscribitur *de Romanorum hostiis quaestiones selectae*, p. 31 verba allata Servii nihili habet, cum commentatorem istam doctrinam

1) Placita eorum minime probantur verbis Livii XLI 16. 1, quae affert Wissowa *l. l.* p. 393 n. 1; Lanuvinorum enim poena constabat in solvendis impensis ipsius instaurationis, quae poena erat mere civilis.

sibi finxisse existimet, ut *porca* pro *porco* a Vergilio dictum explanaret. „*Nam*" ut ipsius Krausii verba afferam: „*cum deorum quisque ... suam et quasi propriam hostiam certi sexus habeat atque alia si immolatur piaculum dandum sit (Macrob. Sat. III 10. 7) credi nequit in omnibus sacris feminini generis plus valuisse victimas. Ceterum Servii notae: 'denique si per marem ... non poterat' Livii verba (XLI 15) 'alter consul curam adiecit, qui, quod caput iecineri defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. senatus maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussit' prorsus repugnant.*"

Quamquam viri docti rationes et argumenta verba Servii, prout ad universum succidaneae intellectum spectant, egregie refellunt, tamen minime persuasum mihi est omnia hac de re ab eo prolata esse commenticia. Saepe enim, saltem si Etruscorum ritum consideras, succidaneae mactabantur, quae quamquam eiusdem generis erant ac priores hostiae, tamen alias ob causas plus valere existimabantur. Nam hostiae maiores succedebant minoribus (Liv. XLI 15. 4) et, quod plus est, nonnumquam succidaneae diversi erant coloris, quamquam Arnobio teste (*adv. nat.* III 43 et II 68) color quoque victimarum, ut quaeque huic vel illi numini immolabatur, erat praescriptus. Cf. Gell. *N. A.* IV 6. 2 (S. C. anni 99) *quod C. Iulius L. filius pontifex nuntiavit in sacrario [in] regia hastas Martias movisse, de ea re ita censuerunt, uti M. Antonius consul hostiis maioribus Iovi et Marti procuraret et ceteris dis, quibus videretur lactentibus ... si quid succidaneis opus esset, robiis succideret.* Quae cum considero, Servium doctrinam suam totam sibi finxisse non puto; potius crediderim Servium, cum in aliquo scriptore invenisset esse quaedam sacrificia, in quibus si quid succidaneis opus esset, femininis esset succidendum, ea quae de certo quodam genere dicebantur, minus recte ad omnia sacrificiorum genera transtulisse. Quod autem ad verba attinet *si autem per feminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat*, ex iis quae supra a me dicta sunt, satis apparet, ea de ritu Romano dicta esse omnino non posse.

Succidaneae disputationi haud inepte finem facere posse

mihi videor lepidissimis illis versibus, quibus Plautus (*Ep.* 139) Romanam succidaneae disciplinam cavillatur:

men piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,
ut meum tergum tuae stultitiae subdas succidaneam?

Restat ut de sacrorum instauratione quaedam dicam. Nam non tantum sacrificia piaculo commisso a Romanis iterabantur, sed et alia sacra et caeremoniae, quin etiam multarum dierum solemnia et ludi, cf. Liv. V 52. 9 *recordamini .... quotiens sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu neglegentia casuve praetermissum est*, et Cic. *de har. resp.* 21 *audio quibus diis violatis expiatio debeatur: sed hominum quae ob delicta quaero. 'ludos minus diligenter esse factos pollutosque'. quos ludos? te appello, Lentule (tui sacerdotii sunt tensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorum publicorum) vosque pontifices, ad quos epulones Iovis Optimi Maximi, si quid est praetermissum aut commissum, afferunt, quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur; qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto aut quo scelere polluti?* De voce ipsa *instaurationis*, vide Macrob. *Sat.* I 11. 5 *instauraticus dictus est non a patibulo, ut quidam putant, Graeco nomine ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, sed a redintegratione, ut Varroni placet, qui instaurare ait esse instar novare.* Quae quamquam vera non sunt [1]), aperte tamen demonstrant *instaurationis* vim ita manasse, ut generatim *renovationem* significaret.

Causae cur solemnia renoventur hae sunt: pollutio ob scelus commissum; vitia et neglegentiae rituum; interruptio; prodigia.

a. Instauratio ob pollutionem.

Pollutionis causa sacra renovari Ciceronis verba docent modo allata *de har. resp.* 21. Ludos scelere pollutos ideoque instauratos bis narrat Livius. Anno 263 a. u. c. nondum commisso spectaculo pater familias quidam servum sub furca caesum medio egerat circo, velut ea res nihil ad religionem

1) Cf. Walde. *Lat. etym. Wörterb.*², p. 650 *i. v.* restaurare.

pertinuisset. Iovi autem praesultator talis valde displicuit et nisi magnifice ludi instaurati essent, magnum urbi periculum fuisset. (Liv. II 36; Dionys. VII 69; Val. Max. I 7. 4; Macrob. *Sat.* I 11. 3). Impii quoque et scelerati ludis si intererant, caerimoniae violatae pollutaeque erant ideoque renovandae, cf. Liv. II 37. 9 *se ut sceleratos contaminatosque ab ludis festis diebus, coetu quodammodo hominum deorumque abactos esse* collato 38. 4 *si intersimus spectaculo, violaturi simus ludos piaculumque merituri.*

b. Instauratio ob vitia et negligentias rituum.

Quam crebrae renovationes ob sacra commissa fuerint, statim per indices exponam. Quales vero neglegentiae valuerint ad instaurandos ludos, videre est apud Cic. *de har. resp.* XI 23 *an si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit, aut tensam aut lorum amisit, aut si aedilis verbo aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur et* [1] *mentes deorum immortalium ludorum instauratione placantur;* quae Ciceronis verba secutus est Arnobius *adv. nat.* IV 31, ubi de variis causis agit, cur piaculi commissio contraheretur. Digna quoque quae referantur ea sunt quae habet Plutarchus *Coriol.* 25 *ἵππου γὰρ ἑνὸς τῶν ἀγόντων τὰς καλουμένας θήσσας ἀτονήσαντος, καὶ πάλιν τοῦ ἡνιόχου τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἡνίας συλλαβόντος, αὖθις ἐψηφίσαντο τὴν πομπὴν ἐπιτελεῖν.* Verissima esse haec Ciceronis et Plutarchi testimonia, ipsa facta demonstrant. Nam Livius V 19. 1 narrans instaurationem ludorum feriarumque Latinarum, 17. 2 huius instaurationis causam indicat hisce verbis: *magistratus vitio creatos Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse.* Vitia in ipsis sacris commisa plura refert XXXII 1. 9 *Feriae Latinae pontificum decreto instauratae sunt, quod legati ab Ardea questi in senatu erant sibi in monte Albano Latinis carnem, ut adsolet, datam non esse*; XXXVII 3. 4 *Latinaeque instauratae, quod Laurentibus carnis, quae dari debet, data non fuerat*; XLI 16. 1 *Latinae feriae fuere ante diem tertium*

---

1) Vocula *et* vim habet *explicativam*; confer quae dixi p. 64.

nonas Maias, in quibus quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, populo Romano Quiritium, religioni fuit. id cum ad senatum relatum esset, senatusque ad pontificum collegium reiecisset, pontificibus, quia non recte factae Latinae essent, instauratis Latinis placuit Lanuvinos, quorum opera instauratae essent, hostias praebere. Cass. Dio. XXXIX. 30. 4 Λατίνας δεύτερον τότε ὑπό τινος οὐκ ὀρθῶς πραχθέντος ποιουμένας.

c. Instauratio ob interruptionem.

Hanc renovationis rationem haud infacete illustrat Servius ad Vergil. *Aen.* VIII 110 *ne interruptione sacrificii ... piaculum committeretur ... cum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam Urbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt; reversi postea cum piaculum formidarent, invenerunt saltantem in circo senem quendam. qui cum interrogatus dixisset se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: 'salva res est, saltat senex'.* Fest. M 326 L 436 *'salva res [est dum cantat] senex', quare parasiti Apollonis in scaena dictitent, causam Verrius ... reddidit, quod C. Sulpicio C. Fulvio cos., M. Calpurnio Pisone praetore urb. faciente ludos, subito ad arma exierint nuntiato adventu hostium, victoresque in theatrum redierint solliciti, ne intermissi religionem adferrent, instaurandique ludi* [1] *essent: inventum esse ibi C. Pomponium, libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret. itaque gaudio non interruptae religionis editam vocem nunc quoque celebrari.*

d. Instauratio ob prodigia.

Prodigiis factis ludi et solemnia instaurentur necesse est, quia prodigiis di ostendunt sacra sibi ob vitia negligentiasve displicere. Bis Livius renovationem narrat factam ob prodigia: XL 59. 6 *ludi Romani instaurati ab aedilibus ... propter prodigia quae evenerant.* Altera autem narratio levem difficultatem praebet: XXXIX 7. 8 *ludis Romanis eo anno* (567 a. u. c.) ... *malus in circo instabilis in signum Pollentiae procidit atque id deiecit; ea religione moti patres*

---

1) pro: *instaurati qui.*

et diem unum adiciendum ludorum censuerunt et signa duo pro uno reponenda et novum auratum faciendum; et plebei ludi... diem unum instaurati sunt. Hac in re ludos vere esse instauratos, tum res ipsa — maioris enim irae deorum signum prodigium erat — tum allata verba ultima *et plebei ludi... instaurati sunt* plane, ni fallor, demonstrant. Cum autem Livius non quibus solet utatur verbis *diem unum instaurandos ludos censuere* sed *diem unum adiciendum*, patet non tantum ludos esse iteratos, sed etiam ludis instauratis diem unum esse adiectum, quam ludorum prorogationem in posterum quoque stabilem fuisse, iure existimabis [1]).

Dicenda quaedam de instaurationum frequentia. Iam antea in explicando ritu, quem narrat Cato *de agr.* 141, vidimus sacro commisso pro delicti ratione aut totum sacrificium renovandum fuisse, aut partem sacrificii tantum. Quod idem in ludis instaurandis factum esse varia Livii testimonia probant. Plerumque enim solemnia per unum diem vel plures producuntur; nonnumquam vero renovantur tota [2]). Ratio huius discriminis in promptu est. Renovabantur sacra tota, si scelere solemnia erant polluta, si interrupta, si ob prodigia nulla erant atque irrita, si rituum vitia quasi rem totam attigerant (ut exemplum afferam, si feriis Latinis alicui ex sociis caro debita data non erat); pars autem sacri instaurabatur, si solum in accidentibus, ut ita dicam, error commissus erat. Si saepius errabatur, tot erant instaurationes sive dierum sive solemnitatum, quot piacula sive leviora sive graviora contracta erant hominum negligentiis. Hoc vero monendum, ab instauratione de qua agimus, omnino distingui instaurationes eas, quae fiunt, ut grates dis agantur, cf. Liv. XLV 3. 2; Cass. Dion. LV 2. 5; *C. I.*

---

1) Cf. etiam VI 42. 12 *ut dies unus... adiceretur.*

2) Si ludi toti semel instaurantur vel saepius, Livius adiecto numerali vocula *totius* utitur (v. g. *ludi instaurati septiens toti*); si sive dies unus sive plures dies renovantur, *totius* vocem omittit (v. g. *ludi quinquiens instaurati*); quae omnia mira sagacitate enucleavit Ritschl, *Parerga* I, p. 366 sq.

L. XIV 2240 (*fer. Lat. bis*); *C. I. L.* XIV 2236 (*fer. Lat. ter*) [1]).

Quae vero generatim solemnia instaurata sint, quaeque fuerit instaurationis frequentia per sequentes indices facile erit videre.

Ludi Romani [2]).

a. 538 = 216	*per triduum*	cf. Liv.	XXIII	30.	16
a. 541 = 213	*diem unum*	„ „	XXV	2.	8
a. 544 = 210	*diem unum*	„ „	XXVII	6.	19
a. 545 = 209	*in unum diem*	„ „	XXVII	21.	9
a. 546 = 208	*semel*	„ „	XXVII	36.	8
a. 547 = 207	*ter toti*	„ „	XXVIII	10.	7
a. 549 = 205	*ter*	„ „	XXIX	11.	12
a. 550 = 204	*biduum*	„ „	XXIX	38.	8
a. 551 = 203	*diem unum*	„ „	XXX	26.	11
a. 552 = 202	*ter toti*	„ „	XXX	39.	6
a. 553 = 201	*biduum*	„ „	XXXI	4.	6
a. 554 = 200	*diem unum*	„ „	XXXI	50.	2
a. 556 = 198	*quater*	„ „	XXXII	27.	8
a. 557 = 197	*ter toti*	„ „	XXXIII	25.	1
a. 558 = 196	*ter toti*	„ „	XXXIII	42.	9
a. 565 = 189	*ter*, ut videtur *toti*	„ „	XXXVIII	35.	6
a. 567 = 187	ut videtur *toti*	„ „	XXXIX	7.	8 et 9
a. 575 = 179	ut videtur *toti*	„ „	XL	59.	6

Ludi Plebei.

a. 538 = 216	*ter*	cf. Liv.	XXIII	30.	16
a. 541 = 213	*per biduum*	„ „	XXV	2.	10
a. 545 = 209	*in unum diem*	„ „	XXVII	21.	9
a. 546 = 208	*biduum*	„ „	XXVII	36.	9
a. 547 = 207	*semel toti*	„ „	XXVIII	10.	7
a. 549 = 205	*septiens*	„ „	XXIX	11.	12
a. 550 = 204	*per biduum*	„ „	XXIX	38.	8
a. 551 = 203	*ter toti*	„ „	XXX	26.	11

1) Mommsen, *Röm. Forsch.* II, p. 105 et 108; Werner, *de fer. Lat.*, p. 40; Pauly-Wissowa, *R. E.* VI c. 2216 (Samter).

2) Indices ludorum Romanorum et Plebeiorum primus composuit Ritschl, *l. l.*, quos indices examinatos et correctos hic reddo.

a. 553 = 201	*ter toti*	cf. Liv.		XXXI	4.	7
a. 554 = 200	*ter toti*	„	„	XXXI	50.	3
a. 555 = 199	? ?	„	„	XXXII	7.	13
a. 557 = 197	*septiens*	„	„	XXXIII	25.	2
a. 558 = 196	*per biduum*	„	„	XXXIII	42.	11
a. 565 = 189	*quinquiens toti*	„	„	XXXVIII	35.	6
a. 567 = 187	*diem unum*	„	„	XXXIX	7.	10

Feriae Latinae.

a. 538 = 396	cf. Liv.		V	19.	1
a. 555 = 199	„ „		XXXII	1.	9
a. 564 = 190	„ „		XXXVII	3.	4
a. 575 = 179	„ „		XL	45.	1
a. 578 = 176	„ „		XLI	16.	2
a. 698 = 56	„	Cass. Dion.	XXXIX	30.	4
a. 712 = 42 (narrantur vitia) „	„	„	XLVII	40.	6

Ludi Martis.

a. 765 = 12 p. Chr. n.	cf. Cass. Dion.	LVI	27.	4

Saepissime igitur ludos Romanos atque Plebeios feriasque Latinas instaurata videmus. Sed et alia sacra renovabantur. Votum Marti, quin etiam ver sacrum non rite factum ideoque renovatum, auctor est Livius XXII 9. 9 et XXXIV 44. 1. Aedium quoque consecratio ob parva vitia erat iteranda, cf. Cic. *pro dom.* 139 et Plin. *N. H.* XI 174 *Metellum pontificem adeo inexplanatae (linguae) fuisse accipimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda aede Opi Opiferae dicere.*

Instauratio ludorum causa facta est magnorum abusuum. Quare Claudius tandem aliquando decrevit, ut ludi non nisi *in unum diem* instaurarentur, teste Cassio Dione LX 6. 4.

Ad instaurationem stultorum quae dicuntur feriae quodammodo pertinent, cf. Varr. *de l. l.* VI 13 *Quirinalia a Quirino, quod ei deo feriae et eorum hominum, qui Fornacalibus suis non fuerunt feriati;* Fest. M 317 L 418 *stulto[rum feriae appellaban]tur Quirina[lia] ... qu[od eo die omnes sa]crificant ii, q[ui solemni die aut] non potuer[unt*

rem divinam face]re, aut ign[oraverunt solemnem] Fornacaliu[m suorum diem] commissumque [piaculum expiabant]. Vide etiam Paul. M 316 L 419. Plutarchus *Q. R.* 89 has rationes instaurationis indicat ἀσχολίαν ἢ ἀποδημίαν ἢ ἄγνοιαν.

3. DE HOSTIA PRAECIDANEA.

Praecidanea hostia ex metu oritur et timore, ne ab inscio et imprudente nec animadvertente committantur piacula. Quae religio quanta fuerit, Romanorum piacula perscrutanti optime demonstrant varia cautionis genera, quibus ne laederent ius sacrum, Romani praecavebant.

Ut a sacerdotibus initium faciam, iam supra commemoravi virginibus Vestae non licere aquam ad sacra haustam, in terra ponere. *Unde*, inquiunt Servius ad Vergil. *Aen.* XI 339 et Lactant. ad Stat. *Theb.* VIII 297 *excogitatum vas est, quod stare non posset, sed statim effunderetur,* quod vas lato ore fundo angusto *futile* vocabatur. Nec minus documento sunt cautiones, ne crura flaminicae nudarentur viderenturque. Cui flaminicae scalas plus tribus gradibus scandere non licebat, scalis Graecis exceptis. Cuius exceptionis rationem reddit Serv. ad Verg. *Aen.* IV 646 *quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausae sint, ne aspectum ad corporis aliquam partem admittant.* Cf. Gellius quoque *N. A.* X 15. 29. Notatu digna cautio quoque est, ne sacerdotes funestentur. Serv. ad Verg. *Aen.* IV 507: *Romani moris fuit propter caeremonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum cupressus, quae excisa renasci non solet, in vestibulo poneretur: ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus introeat et quasi attaminatus suscepta peragere non posset.* Feriis autem publicis regi sacrorum, flaminibus Diali Quirinali Martialique *praeciae* sive *praeciamitatores* [1]) praemittebantur, *ut denuntiarent opificibus, manus abstinerent ab opere, ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur,* cf. Fest. M 224 L 250 et M 249 L 292; Macrob.

---

1) Macrob. *Sat.* I 16. 9 *praeco*; Madvig *praecia viatores*; alii *praeclamitatores.*

Sat. I 16. 9. Flamini vero Diali, utpote semper feriato, semper praeconem antecessisse existimo, cf. Paul. M 248 L 293. Virgas quoque pergentes ad sacra flamines portabant, ut impuros amoverent, teste Paulo M 64 L 56.

Cum alibi tum vero in sacrificiis faciendis cautiones erant multiplices et variae. Solemni voce *hoc age* sacrorum ministri iubebantur animos habere intentos; formulis autem *favete linguis* vel *parcito linguam* circumstantes monebantur ut silerent, ne verbis infaustis turbarent omina [1]). Ac ne in ipsis precibus piacula admitterentur, non solum ministri erant, qui precum carmina praeirent, sed etiam qui attenderent, ne verbis sacerdotes aberrarent, teste Plinio *N. H.* XXVIII 11 *videmus... ne quod verborum praetereatur aut praeposterum dicatur, de scripto praeire aliquem rursusque alium custodem dari qui attendat* [2]). Libellis quoque sacerdotes utebantur, ne aberrarent [3]). Denique ne sacrificans quid aliud audiret videretve, quod malum omen esse posset, tibicen continenter canebat, caputque sacerdotis togae parte erat adopertum, cf. Plin. *l. l.*; Dionys. XII 22; imprimis Serv. ad Verg. *Aen.* V 755 *ritu Gabino, id est togae parte caput velati*, et ad *Aen.* III 407 *sane sciendum, sacrificantes diis omnibus capita velare consuetos, ob hoc ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno* [4]).

---

1) De formulis allatis cf. Marquardt-Wissowa *R. St. V.* III, p. 176, n. 1—3.

2) Varia testimonia apud Marquardt-Wissowa *l. l.*, p. 177, n. 4.

3) Henzen *A. Fr. A.*, p. 26 et 27, acta anni 218 et 219.

4) Causam igitur capitis velandi ipsi Romani testantur *cautionem* fuisse, ne quid mali ominis audiretur. Putabant enim in rebus sacris, quod ipsi non sensissent, id sibi vim facere non posse, cf. Catonem de auspiciis agentem apud Fest. M 236 L 268. Multi autem huius aetatis viri docti velum existimant esse signum *purificatus* vel *oblationis* vel *consecrationis*, (Diels, *Sibyll. Blätt.*, p. 122; Samter in *Phil.* LIII 1894, p. 537; Reinach, *Cult. Myth. Relig.* I, p. 299; Warde Fowler, *The Religious Experience*, p. 195, n. 35, qui alios ibi allegat). Quae licet forsitan sint vera, non tamen Romanorum mentem assequuntur. Saepe enim, uti iam antea dixi, manente exteriore ritu et forma, id quod ritu significatur, omnino videmus mutatum. De

Nonnumquam vero accidit ut piacula caverentur legibus severioribus mitigandis, quas iuris mitigationes saepe in aedium lucorum ararum dedicationibus offendimus, cf. legem arae Augusti Narbonensis *C. I. L.* XII 4333 (= Bruns[6], p. 263) et legem arae Iovis Salonitanae *C. I. L.* III 1933 (= Bruns[6], p. 264) *sive quis hostia sacrum faxit, qui magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factum esto*; legem templi Furfensis *C. I. L.* IX 3513 (= Bruns[6], p. 261) *utei tangere sarcire tergere devehere defigere mandare ferro oeti promovere referre [liceat] fasque esto.* Notatu digna verba quoque in titulo dedicationis luci Bonae Deae *C. I. L.* XI 4767 (= Wissowa, *R. K.*[2], p. 218, n. 2) *ut liceat per masculos remundari permit(tente) Pom[peia] com[magi]s[t]ra.* Leges nimis difficiles de immolationibus in Albano monte faciendis ipse senatus derogavit, teste Arnobio *adv. nat.* II 68 *in Albano antiquitus monte nullos alios licebat quam nivei tauros immolare candoris: nonne istum morem religionemque mutastis atque ut rufulos liceret dari, senatus constitutum sanctione est?*

Plurimum, ni fallor, ad praevenienda sacra commissa adiuvabat potestas Pontificis Maximi multandi, quin etiam dimittendi sacerdotes [1]), si vel in rebus levioribus minus cauti fuerant et diligentes, cf. Plutarch. *Marc.* 5 περὶ δὲ τοὺς αὐτοὺς ἐκείνους χρόνους καὶ δύο ἱερεῖς ἐπιφανέστατοι τὰς ἱερωσύνας ἀφηρέθησαν, Κορνήλιος μὲν Κέθηγος, ὅτι τὰ σπλάγχνα τοῦ ἱερείου παρὰ τάξιν ἐπέδωκε, Κόιντος δὲ Σουλπίκιος ἐπὶ τῷ θύοντος αὐτοῦ τὸν κορυφαῖον ἀπορρυῆναι τῆς κεφαλῆς πῖλον, ὃν οἱ καλούμενοι Φλαμίνιοι φοροῦσι .... καὶ τὴν ἐν οὕτω μικροῖς ἀκρίβειαν φυλάττοντες οὐδεμίᾳ προσεμίγνυσαν δεισιδαιμονίᾳ τῷ μηδὲν ἀλλάττειν

---

velatione multa scripsit notatu dignissima Rossbach, *die Röm. Ehe*, p. 280 sq. De Romanorum ritu multa testimonia collegit Marquardt-Wissowa *R. St. V.* III, p. 176. Cf. quoque Wissowa, *R. K.*[2], p. 396, n. 5. De tibiae cantu vide Eitrem, *Opferritus und Voropfer der Gr. u. Röm.*, p. 228 sq.

1) De potestate dimittendi cf. Liv. XXVI 23. 8; Plut. *Marc.* 5; *Q. R.* 99; Val. Max. I 1. 4 et 5; de multandi potestate Liv. XXXVII 51. 4, XL 42. 9; Val. Max. I 1. 2; Cic. *Philipp.* XI 18. Vide Wissowa, *R. K.*[2], p. 494 et 511.

μηδὲ παρεκβαίνειν τῶν πατρίων. Quanta vero diligentia generatim Romanorum sacerdotes fuerint, egregie ostendunt acta fratrum Arvalium, qui quamquam in aliis sacrificiis piacularibus perficiendis erant cautissimi, numquam tamen, quod quidem ex titulorum reliquiis noverimus, piaculum sacri ab imprudente commissi in actis insculpserunt.

Si autem victimae praescriptae deerant ac proinde nullo modo fieri poterat, ut leges sacri iuris servarentur, notissimo illo Romani agebant consilio, quod tradidit Servius ad Vergil. *Aen.* II 116 *sciendum in sacris simulata pro veris accipi*, qua statuta sententia grammaticus ita pergit: *unde cum de animalibus, quae difficile inveniuntur, est sacrificandum, de pane vel cera fiunt et pro veris accipiuntur.* Festus quoque M 360 L 494 liba commemorat quae pro tauris adhibebantur: *tauri verbenaeque in commentario sacrorum significat ficta farinacea.* Prae ceteris pauperes simulata pro veris sacrificasse, et hac in re Romanos a Graecis non discrepuisse, facile possumus suspicari. Addo a Iuvenale X 66 commemorari *creticum bovem*, quem pro bove nivei candoris immolatum esse existimo [1]).

Ex variis quas attuli cautiones et poenas ne piacula committerentur, dilucide apparet quanto timore tenerentur Romani, ne in caerimonias ritusque sacros negligentiae aut vitia irreperent. Ratio autem huius timoris erat, eos pro certo habere sacrificium, in quo sacrum esset commissum, litare id est dis gratum esse omnino non posse ideoque generatim efficere, ut di iram offensamque mentem ostenderent prodigiis cladibusque publicis. Quae quam vera sint, variis veterum scriptorum testimoniis demonstrabo, quae licet non omnia historiae fide comprobentur, egregie tamen illustrant quid Romani hac in re senserint.

Liv. I 31. 8 *non rite initum aut curatum id sacrum esse*

---

1) De *cervaria ove* quae pro cerva inmolabatur cf. Paul. M 57 L 49; immolabatur, ut probat Wissowa, *R. K.*², p. 421, n. 6, ritu Graeco. Quod ad Graecorum consuetudinem vide Stengel, *Opferbräuche der Griechen*, p. 222 sq. Valde inter sese conveniunt βοῦς Graecorum et *tauri verbenaeque* Romanorum.

... (*et regem*) *prava religione fulmine ictum cum domo conflagrasse* (cf. Plin. *N. H.* II 140); I 32. 2 *regnum* ... *haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus aut prave cultis*, II 42. 10 *motique ira numinis, causam nullam aliam vates canebant* ... *quam haud rite sacra fieri*, V 17 1 (*vatem*) *adhibere tribuni militum* ... *ad prodigii Albani procurationem ac deos rite placandos coepere; inventumque tandem est, ubi neglectas caeremonias intermissumve solemne dii arguerent* ... *magistratus vitio creatos Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse*. Vide etiam VI 20. 15 et XXII 9. 7 de cladis Trasumennae causis.

Cicero *de har. resp.* quinque coelestium irae causas enumerat, quae omnia in sacro commisso sunt positae; non tantum § 9 affert *loca sacra et religiosa profana haberi*, § 34 *oratores contra ius fasque interfectos*, § 36 *fidem et iusiurandum neglectum*, sed etiam § 21 *ludos minus diligenter factos pollutosque* et § 37 *sacrificia vetusta occultaque minus diligenter facta pollutaque*.

Cum iis quae narrat Cicero omnino congruit Tac. *Ann.* XI 15 *saepe adversis reipublicae temporibus* (*haruspices*) *accitos, quorum monitu redintegratas caeremonias et in posterum rectius habitas;* Dionys. VIII 89; Arnob. *adv. nat.* IV 31, ubi res tota exprimitur hisce verbis: *in levioribus caussis irasci* (*eos*) ... *cum pernicie saepius* ... *civitatis*.

Quae testimonia, ni fallor, perspicue ostendunt Romanos multo magis timuisse, ne sacro per imprudentiam commisso delicti manerent inconscii, quam ne sacro commisso statim vitium animadverterent. Nam si animadverterant negligentiam, mactanda succidanea vel instaurandis caeremoniis iram deorum statim placare potuerant; vitio verum non observato, in discrimine versabantur, ne di prodigiis atque etiam reipublicae calamitatibus iram ostenderent. Ideoque ut sacra per imprudentiam commissa, quorum manerent inconscii, iam antea *praeventivo* ut ita dicam quodam sacrificio expiarentur, *praecidanearum* genera quaedam sunt instituta, e quibus tria ea commemorabo quorum ad nos memoria pervenit.

Incipiam a m a g i s t r a t u u m h o s t i i s p r a e c i d a-

n e i s. Ut enim illi deorum iras, in quas sacro per imprudentiam commisso nec postea animadverso incurrere possent, iam ante placarent expiarentque, antiquitus iam *hostiae praecidaneae* quae vocabantur sunt institutae, quae iis sacris solemnibusque maioribus antecederent, in quibus peragendis facile sacra ab imprudente nec animadvertente committerentur; de quibus loquitur Gellius *N. A.* IV 6. 7 *eadem autem ratione verbi 'praecidaneae' quoque hostiae dicuntur, quae ante sacrificia solemnia pridie caeduntur*, et Paulus M 223 L 250 *praecidanea agna vocabatur, quae ante alias caedebatur.*

Alterum praecidaneorum genus est a g r i c o l a r u m p o r c a p r a e c i d a n e a. Multa enim rusticorum erant munera, in quibus facile ab imprudente committebatur piaculum. Quare in praecidanearum numero ea quoque *porca praecidanea* est habenda, quae ab agricolis mactabatur, antequam varias fruges conderent; de quo sacrificio agit Cato *de agric.* 134 *priusquam messim facies, porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet: Cereri porca praecidanea porca femina priusquam hasce fruges condas, far, triticum, hordeum, fabam, semen rapiceum; ture vino Iano Iovi Iunoni praefato, priusquam porcum feminam inmolabis.* (Sequitur ritus struis ferti vini offerendi Iovi Ianoque.) ... *ubi exta prosecta erunt, Iano struem ommoveto ... Iovi fertum ommoveto ... item Iano vinum dato et Iovi vinum dato ... postea Cereri exta et vinum dato.*

Haec autem praecidanea porca omnino distinguenda est ab illa praecidanea, de qua supra egimus in explicando sacri commissi piaculo, cf. p. 41. Illa enim mactabatur ob sacra iam commissa, cum quis mortuis iusta non dederat, haec vero piacula forte committenda respicit [1]). Multa enim in messe facienda frugibusque condendis committi piacula poterant, non solum quia messis ipsa ritus sacer erat [2]),

---

1) Cf. Luebbert, *Comm. Pontif.*, p. 78; Krause, *de Rom. hostiis quaest. select.*, p. 28.

2) Cf. Paul. M 319 L 423 *praemetium de spicis, quas primum mes-*

sed etiam quia in metendo facile laedebantur sepulcrorum iura, quod et Ovidius ostendit *Fast.* IV 750 et *C. I. L.* X 3334 *ager cum habeat plurima et dispersis locis sepulcra, ius per venditionem transferri ad emptorem non potuit.*

Qui vero ea praecidanea, de qua antea egimus et quae est piaculum sacri ab imprudente commissi et haec praecidanea, quae est piaculum sacri ab imprudente committendi, genetice inter sese cohaereant, difficillima est quaestio. Wissowa, *R. K.*², p. 193 sic rem explicat: „*Ganz entsprechend erhalten vor Beginn der Ernte Tellus und Ceres vereint das Opfer der 'porca praecidanea', das zu dem regelmässigen Opfern des Landmannes gehört und ... zu den 'popularia sacra' gerechnet wird: es ist eine heilige Handlung von doppelter Bedeutung, einerseits Einleitung der Ernte, andererseits zugleich ein Sühnopfer für eine etwa vorgefallene Verletzung des 'ius manium'; ursprünglieh wurde die 'porca praecidanea' nur von dem geopfert, der im Laufe des Jahres eine ihm zustehende Pflicht der Beerdigung nicht oder nicht gehörig erfüllt hatte ('qui mortuo iusta non fecisset'), nachher aber wurde der Brauch, wohl in der Annahme, dass jeder eine vielleicht unbewusste Versündigung dieser Art zu sühnen habe, ein algemeiner, und schliesslich war, wie die von Cato gegebene Beschreibung der Ceremonie zeigt, dem opfernden Landmanne nur noch die Beziehung auf die Ernte klar bewusst. Diese Verschiebung findet auch darin ihren Ausdruck, dass die meisten Zeugen als Empfängerin des Opfers nur Ceres nennen: denn von den beiden Beziehungen der heiligen Handlung ist offenbar die auf den Totendienst mehr in Tellus verkörpert, die uns hier in einer auch sonst nachweisbaren Verbindung mit den Di manes entgegentritt, während der Ceres als der Göttin des Wachstums das Ernteopfer ebenso gilt, wie ihr auch als besondere Weihegabe der erste Aehrenschnitt, das 'praemetium' zukommt.*"

---

suissent, sacrificabant Cereri; Fest. M 277 L 344, Paul. M 276 L 345 *refriva faba;* egregie Warde Fowler, *The Religious Experience*, p. 191 „*the first cutting of the corn was a sacred rite, and one in which it was easy te take a false step*".

Licet rationes a Wissowa allatae ut semper gravitate sua non careant, tamen historicus sacrificii quem proponit progressus mihi probari non potest. Etenim iam ipsa vox *porcae praecidaneae*, satis antiqua, ni fallor, indicium edere videtur sacrificium potius respicere ad actionem quandam sequentem, quam ad iam antea commissa piacula. Deinde si porca praecidanea iam inde ab initio piaculum commissi fuisset, certe eam antiqui homines non ante messem condendam, sed ante agros seminandos Telluri mactassent. Nam semper Romani anxii erant, ne Tellus mater agrorum s t e r i l i t a t e offensas mortuis illatas ulcisceretur; atque haec prae ceteris anxietas causa erat, cur cultus manium arcte cum agricolarum muneribus coniungeretur. Quare etiam Graeci non ante messem, sed in prima aratione agri eos qui mortuis iusta non dederant, dis inferis consecrari solebant, cf. schol. ad Sophocl. *Antig*. 255 *οἱ γὰρ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον καὶ μὴ ἐπαμησάμενοι κόνιν ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν... λόγος δὲ ὅτι Βουζύγης Ἀθήνησι κατηράσατο τοῖς περιορῶσιν ἄταφον σῶμα* [1]). Ritum vero porcae praecidaneae, quem exhibet Cato *l. l.*, ad agriculturam tantum spectare neque vero ad ad cultum manium, minime mihi habeo persuasum, et certe ex verbis Catonis id deduci non potest. Etenim ipsius praecidaneae carmina, quae rusticis sat nota videtur existimasse, Cato omnino non attingit; carmina tantum refert, quae in vino libando et struibus ommovendis Iovi Ianoque erant dicenda, et ipsam praecedebant praecidaneam. Preces autem ipsi Cereri faciendae, quas Cato non refert, non multum discrepuisse puto ab iis, quae agricola in conlucando luco adhibebat (cf. Cat. *l. l.* 141); ideoque in iis mentionem factam esse sacri forte committendi, facile adducor ut credam [2]). Sacrum autem illud committendum praecipue manium cultum intendisse, modo supra ostendi. Quod denique

---

1) Cf. Dieterich, *Mutter Erde*, p. 78; Wissowa, *R. K.*², p. 193, n. 8.

2) Cf. De Marchi quoque, *Il culto privato*, p. 189, n. 3. Distinguendum tamen est inter praecidaneam Catonis et conlucationis sacrificium; quod ultimum fit ob sacrum a p r u d e n t e committendum, ideoque est *piaculum operis faciendi,* de quo in altera parte huius capitis.

ad Wissowae verba attinet: in porca facienda Telluris cultum praecipue ad mortuos spectasse, Cereris cultum vero ad agriculturam: etiamsi sint vera, minime tamen progressionem sacrificii, quam quidem constituit vir doctus, probare possunt. Fieri enim potest, ut etiam in rusticorum praecidanea Tellus mater locum Cereri cedere debuerit. Quod et in antiquissimo illo sacrificio *praesentaneae porcae* (Fest. M 250 L 296) factum videmus, quod posteriore tempore Cereri semper fiebat, initio tamen Telluri mactari solitum fuisse ipse Wissowa (*l. l.* p. 194) existimat. Quod mirum non est: nam etiam in antiquissimis illis agricolarum Ambarvalibus ipse quoque Mars a Cerere paulatim submovebatur.

Quare porcae praecidaneae sacrificium hanc progressionem habuisse puto. Principio piaculum erat ante messem condendam, quo Tellus placaretur ob sacra praecipue contra iura manium in metendo forte committenda. Cum autem paulatim urbs Roma cresceret, multis hominibus sacrificium illud rusticum prorsus supervacaneum fiebat atque inutile. Quare oppidani, vi sacrificii sensim mutata, porcam illam mactare coeperunt ob sacra anni peracti contra ius manium commissa, analogia forte et exemplo *propudialis* eius *porci*, qui genti Claudiae statutis temporibus velut piamentum omnis contractae religionis erat (Fest. M 238 L 274). Sed et agricolarum praecidanea paulatim mutabatur. Iam apud Catonem *l. l.* dea Tellus locum cessit Cereri, sicut et in Ambarvalibus Mars ei cessit et suovetaurilia eius ab eadem dea submovebantur. Apparet hac in re magnam vim habuisse ritus Graecorum. Apud Vergilium *Georg.* I 347 sq. antiquus Romanorum ritus iam omnino abolevit: *neque ante*, ait,

falcem maturis quisquam supponat aristis,
quam Cereri torta redimitus tempora quercu
det motus incompositos et carmina dicat.

Tertia praecidanea ea agna habenda est, quae ante vinalia rustica mactabatur initio vindemiae. Ritum ipsum exhibet Varro *de l. l.* VI 16 *Vinalia a vino; hic dies Iovis, non Veneris; huius rei cura non levis in Latio: nam*

aliquot locis vindemiae primum ab sacerdotibus publice fiebant, ut Romae etiam nunc: nam flamen Dialis auspicatur vindemiam et ut iussit vinum legere, agna Iovi facit, inter quoius exta caesa et porrecta flamen primus vinum legit. Tres partes igitur caeremonia habebat: praecedebat auspicatio — nam vindemiae cura non levis erat in Latio —; deinde agna Iovi mactabatur; postremo Iovi quoque inter exta caesa et porrecta praemetium vini fiebat. Etenim sicut praemetium spicarum Cereri dabatur, ita praemetium vini Iovi datum existimo. Paulus M. 235 L 267 universe dicit: *praemetium quod praelibationis causa ante praemetitur.*

Agnam autem quae Iovi immolabatur, fuisse praecidaneam hae rationes probant, ni fallor. Prior est similitudinis. Si enim praecidanea facienda erat, antequam far triticum hordeum faba semen rapicium conderetur, eandem legem et in vindemia valuisse iure expectaveris. Altera autem ratio est ipsa origo sacrificii. Nam narrat Varro, teste Plinio *N. H.* XVIII 289 hunc diem festum tempestatibus leniendis esse institutum. Cum autem constet Romanos publicas calamitates plerumque attribuisse negligentiis vitiisve ab imprudente commissis, non dubito quin agna hoc consilio mactata sit, ut Iovis ira ob sacra in vindemia per imprudentiam committenda iam ante piaretur. Agnam vero praecidaneo sacrificio congruere Paulus docet M 223 L 250; propriam hostiam fuisse Iovi Ovidius *Fast.* I 56 *Idibus alba Iovi grandior agna cadit* [1]).

Pars altera.

De piaculo sacri a prudente sive commissi sive committendi.

Hucusque de iis tantum egimus sacris commissis, quae ab imprudente, minime vero consulto fierent. Prudenter autem et de consulto ius divinum laeditur duplici modo. Etenim qui prudens ius violat aut agit necessitate coactus, iustas ob causas, sine dolo malo; aut legem non servat ob temeritatem et auda-

---

1) Krause, *de Rom. hostiis quaest. select.*, p. 22 iniuria putat Varronem errasse et pro *agna* scribendum esse *agno.*

ciam, aliis verbis: dolo malo. Eiusmodi autem temeritas et audacia apud antiquos expiari non potest; at quod iustas ob causas contra legem commissum est, generatim piaculo sanetur oportet. Quod piaculum modo iuri laeso antecessisse modo successisse videbimus. Quare prius nobis erit disputandum de *inexpiabilitate*, deinde de *piaculis operis faciendi* quae vocant et *operis perfecti*. Inserenda insuper quaedam erunt de quibusdam *piaculis intermediis specie tantum sacri dolo malo commissi*.

1. DE INEXPIABILITATE.

Qui prudens dolo malo sacrum committit ex divini iuris legibus impius habendus est; impius autem nullo modo expiari et a culpa liberari potest.

Dura lex, quam tamen revera exstitisse iuris peritorum perspicue demonstrant responsa, cf. Macrob. *Sat.* I 16. 10 *adfirmabatur eum, qui talibus diebus (festis) imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere, prudentem expiare non posse Scaevola pontifex adseverabat; sed Umbro negat eum pollui, qui opus vel ad deos pertinens sacrorumve causa fecisset, vel aliquid ad urgentem vitae utilitatem respiciens actitasset. Scaevola denique consultus quid feriis agi liceret, respondit: quod praetermissum noceret;* Varr. *de l. l.* VI 30 *praetor qui tum (die nefasto) fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur: si prudens dixit, Q. Mucius aiebat eum expiari ut impium non posse.* Quibus cum responsis omni ex parte congruunt varia Ciceronis testimonia: *de leg.* I 40 *scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est;* II 22 *impius ne audeto placare donis iram deorum;* II 22 *sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto; quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto,* quam legem ipse Tullius explicat II 37 *publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus foedis damnet atque impiam iudicet*[1].

---

1) Cf. et Lactant. *D. I.* VI 24 (VI 722 M) *nec tamen deficiat aliquis,*

Apud Horatium quoque *Od.* I 28. 34 is qui manibus debita iura ferre recusat, detestationem audit *teque piacula nulla resolvent.* Qui igitur prudenter dolo malo sacrum committit, impius est et manet, vel aliis verbis: undique exagitatur ira deorum, cf. Cic. *de leg.* II 19 *ad divos adeunto caste; pietatem adhibento, opes amovento; qui secus faxit, deus ipse vindex erit* et I 40 *impietatum nulla expiatio est; itaque poenas luunt non tam iudiciis . . . sed eos agitant insectanturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu.*

Opponuntur igitur inter se piaculum et inexpiabilitas, cf. Isid. *Orig.* V 26. 26 *piaculum dictum pro eo quod expiari potest: commissa sunt enim quae erant quoque ordine expianda* collato X 131 *inexpiabilis: quod numquam expietur* [1]).

Quaestio est, legis antiquus rigor fueritne aliquando mitigatus? Affirmat Wissowa (*R. K.*[2], p. 393) his verbis: „*Ist der Verstoss wissentlich und absichtlich geschehen, so ist nach strenger Auffassung für ihn persönlich eine Wiederherstellung des zerstörten Verhältnisses zur Gottheit ausgeschlossen, er hat sich seinerseits ausserhalb des 'ius divinum' gestellt und ist darum, ohne die Möglichkeit einer Sühnung, als 'impius' zwar nicht weltlicher, wohl aber göttlicher Strafe verfallen; eine mildere Praxis hat sich dann damit begnügt, für den Fall wissentlicher und beabsichtigter Verfehlung ausser der sakralen Sühnung noch eine strafrechtliche Vermögensbusse festzusetzen.*" Quam sententiam vir doctus hac annotatione (n. 4) probare conatur: „*So im Haingesetze von Spoleto . . .; auch in der Lex colon.*

---

aut de se ipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus ad iniustitiae viam lapsus est. potest enim reduci ac liberari, si eum paeniteat actorum et ad meliora conversus satis Deo faciat. quod fieri posse Cicero non putavit, cuius haec in Academico tertio verba sunt: 'quod si liceret ut iis qui in itinere deerravissent, sic vitam deviam secutis corrigere errorem paenitendo, facilior esset emendatio temeritatis'.

1) Vide et Cic. *Philipp.* I 13 *an me censetis, patres conscripti . . . decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur? ut inexpiabiles religiones in rempublicam inducerentur?* XI 29 *omnia deorum hominumque iura . . . inexpiabili scelere polluerit,* cetera.

Genet... c. 73 findet sich bei dem Verbot des Begrabens innerhalb der Stadt nicht nur die Bestimmung: 'si adversus ea mortuus inlatus positusve erit, expianto uti oportebit', sondern auch: 'si quis adversus ea fecerit, is c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) HS IↃↃ d(are) d(amnas) esto'." Eadem docet Mommsen *Strafr.* 811. 2: „*Die Spoletinische Hainordnung unterscheidet bei der Contravention ('sei quis violasit') die zufällige und die absichtliche ('scies dolo malo'); in beiden ist Sühnung erforderlich ('Iove bovid piaclum datod'); im zweiten daneben eine Busse von 300 Assen ('eius piacli moltaique dicator[ei] exactio est[od]'). Auch in dem Stadtrecht vom Genetiva c. 73 wird bei Bestattung innerhalb der Stadt Geldstrafe und Expiation gefordert.*" Errasse autem utrumque, legem Genetivae attente consideranti statim apparet. Cf. c. 73 (*C. I. L.* II 4766 = Bruns[6], p. 127) *ne quis intra fines oppidi colon(iae)ve, qua aratro circumductum erit, hominem mortuom inferto neve ibi humato neve urito neve hominis mortui monimentum aedificato. si quis adversus ea fecerit, is c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) HS IↃↃ d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae cui volet petitio persecutio exactioq(ue) esto, itque quot inaedificatum erit IIvir aedil(is)ve dimoliendum curanto. si adversus ea mortuus inlatus positusve erit, expianto uti oportebit.* Quid igitur? Num qui legem coloniae violavit multatur, idemque piaculo facere iubetur? Minime, ni fallor. Etenim piaculo faciendum est non ei qui legem non servavit, sed ipsis aedilibus qui lege coloniae coacti ius manium violant [1]). Eadem fere de lege Spoletina dicenda sunt. Tota lex haec est (*C. I. L.* XI 4766 = Bruns[6], p. 260) *honce loucom ne quis violatod, neque exvehito neque exferto quod louci siet, neque cedito nesei quo die res deina anua fiet; eod die, quod rei dinai causa [f]iat, sine dolo cedre [l]icetod; sei quis violasit Iove bovid piaclum datod; sei quis scies violasit dolo malo, Iovei bovid piaclum datod et a(sses)*

---

1) Rectius Mommsen, *Gesammelte Schriften*, I, p. 262: „*Sepulcrum propter legem violatum nihilominus expiandum fuisse consentaneum est.*"

CCC moltai suntod; eius piacli moltaique dicator[ei] exactio est[od]. Solutio difficultatis, ni fallor, in verbis ultimis *eius piacli moltaique dicator[ei] exactio est[od]* sita est. Quae verba indicant piaculum ob sacrum a prudente commissum, non ab ipso eo qui legem violaverat dis esse immolatum, sed a luci sacerdotibus. Lucus enim cum violatus esset, di placarentur necesse erat; quod cum impius praestare non posset, luci sacerdotibus religioni erat. Quod quomodo cum sacro iure congruat, inde clare apparet quod in re publica, si magistratus dolo malo peccaverat, publici sacerdotes piaculo deos placare debebant. Magistratus prout impius inexpiabilis erat, res publica vero, quae per magistratum quasi inscia et imprudens deos offenderat, expiatione indigere videbatur. Cur autem, ut ad Spoletinam legem redeam, ab illo qui dolo malo sacrum commisit, dicator bovem deposcat, in aperto est: idem bos noxio poenae erat et quo sacerdotum damnum compensaret, idem sacerdotibus piaculum sacri quasi ab imprudente sacerdote commissi.

Alius adversarius est vir iuris peritissimus Danz [1]), qui allatis Liv. IX 1, Paul. *i. v. laureati milites*, Dionys. V 57, haec contendit: „*Ein piaculum, welches 'prudens' committirt ist, lässt keine Sühne zu, nur das 'imprudens commissum' kann expiirt werden . . . nur das gesammte Volk und Heer kann aus leicht erklärlichem Grunde, auch wenn es 'prudens' ein 'piaculum' committirte, expiirt werden.* Danzio adsentitur vir doctus Mulder [2]): „*Nonnumquam tamen factum est, ut etiam impii prudentes expiarentur: apud Livium legimus (IX 1): 'Ne nihil actum . . . hac legatione censeatis, expiatum est quidquid ex foedere rupto irarum in nos coelestium fuit'.*" De Livii testimonio hoc notandum est, verba allata plane esse oratoria eaque non a duce Romano sed ab hoste dicta; quod vero ad Paulum et Dionysium attinet, non agunt de sacro d o l o m a l o commisso, sed de sacro commisso tum iustam ob causam (salu-

---

1) Danz, *Der sacrale Schutz*, p. 99.
2) Mulder, *De conscientiae notione*, p. 64.

tem dico patriae) tum ob necessitatem, quod ex verbis Dionysii ὅτι περὶ πολιτικοῦ φόνου γνώμας ἠναγκάσθησαν ἀποδείξασθαι lucide apparet.

Quare omnibus bene consideratis, non credo Romanos umquam deseruisse duram inexpiabilitatis legem. Quod si quis negaverit, dicens totam Romanorum historiam describi breviter verbis illis Tullianis (*de re publ.* III 28) *nulla est tam stulta civitas, quae non iniuste imperare malit, quam servire iuste*, ideoque fieri non potuisse quin magistratus saepissime iurisiurandi religionem violarent — respondere velim verbis Bouché-Leclercq: „*Toutes les fois que la religion du serment compromettait les intérêts de la république, les pontifes sûrent trouver des échappatoires*" [1]).

Restat ut dicam de iis quae ex impietate et inexpiabilitate sequebantur. Impius cum expiari non posset, impurus utique manebat ideoque ab omnibus sacris erat exclusus, cf. Dionys. VIII 28 οὔτε θυσιῶν οὔτε σπονδῶν οὔθ' ἑστίας ὅποι ποτ' ἂν ἀφίκῃ κοινωνεῖν ἐθελήσει σοι (ἀσεβεῖ) τῶν εὐσεβῶν καὶ δικαίων οὐδείς. Non solum verbis *procul impius esto* ab omnibus caeremoniis arcebatur, sed etiam revera infamiae subierat maculam. Qui vero sacrum imprudens commiserat, impurus erat ideoque sacris abstinere debebat, dum piaculo deos placaret, cf. Dionys. V 57 ὡς οὐ θεμιτὸν αὐτοῖς ἐφ'

1) Bouché-Leclercq, *Les pontifes de l'ancienne Rome*, p. 19, apud Mulder, *De conscientiae notione*, p. 65. Notatu quoque digna sunt verba Servii ad Vergil. *Aen.* XII 242 *rogant, ut (foedus) pro non facto sit, ne piaculum videantur admittere;* ad XII 245 *et alto dat signum coelo. ut religio* (iurisiurandi sc.) *alia religione* (i. e. prodigii) *solvatur*. Non dubito quin tales species et simulationes pontificibus quoque Romanis minime fuerint ignotae. Illud quoque notandum est, sacerdotes quotiens Capitolium fulmine tangeretur, numquam ibi fulgur condidisse (quod ius divinum exigebat), sed asseverasse semper Iovem magnificentius sibi deposcere domicilium, cf. Lactant. *D. I.* III 17 (VI 400 M). Praescriptiones autem illae quas attulit Mulder *l. l.*, p. 65 (cf. Cic. *de off.* III 106, 107, 110, 111; Liv. III 20. 4) temporibus iis miserrimis attribuendae sunt, cum iam fides, conscientia, religio omnia venalia habebantur. Evocationem quoque deorum, de qua supra egimus p. 45 sq., hoc loco in memoriam revocare non fuerit inutile (Serv. ad Vergil. *Aen.* IX 448).

ἱερὰ παριέναι καὶ θυσιῶν κατάρχεσθαι, πρὶν ἀφοσιώσασθαι τὸ μίασμα, καὶ τὴν συμφορὰν λῦσαι τοῖς εἰωθόσι καθαρμοῖς. Quare qui sacro per imprudentiam commisso piaculo facere recusabat, de facto eiusdem erat conditionis ac homo vere impius, cf. Serv. ad Vergil. *Aen.* I 378 *qui purgati non sunt, impii.* Interdum eum, qui in impietatis infamiam incurrisset, etiam publicas poenas solvere debuisse, non est quod miremur. Contra illud notatu dignum periurium reipublicae numquam curae fuisse, cf. Cic. *de leg.* II 22 *periurii poena divina exitium, humana dedecus;* Tacit. *Ann.* I 73 *iusiurandum perinde aestimandum, quam si Iovem fefellisset; deorum iniurias dis curae; Cod. Iustin.* IV 1. 2 *iurisiurandi contempta religio satis deum ultorem habet.* Quae omnia egregie illustrant, quanta antiquis illis temporibus Romanorum δεισιδαιμονία fuerit. Posteriore verum aetate magis, ni fallor, deterrebantur infamiae dedecore, quae necessario impium sequebatur, quam ipsa ira deorum; quam iram variis exsecrationibus iurantes sibi deprecari solebant, si scientes fefellissent.

2. DE QUIBUSDAM PIACULIS SACRI SPECIE NON RE DOLO MALO COMMISSI.

Magistratus qui in fungendo munere, sacerdos qui in implendo officio, civis qui in re gravi peragenda sacrum dolo malo commiserat, re ipsa uti probavimus, impius erat et inexpiabilis; res publica autem tum censebatur ea conditione esse ac si quis inscius et imprudenter peccaverat, ideoque expiabatur piaculo sacri specie non re dolo malo commissi.

Teste Livio XXIX 8 et 9 Pleminius legatus anno a. u. c. 549 Proserpinae aedem Locris spoliaverat; qua de re 19. 8 refertur ad senatum: *sacrum piaculare fieri, ita ut prius ad conlegium pontificum referretur, quod sacri thensauri moti violati essent; quae piacula, quibus diis, quibus hostiis fieri placeret* [1]; XXIX 20. 10 rem ad pontifices relatam legimus: *ad conlegium pontificum relatum est de*

1) Vide et Liv. XXXVIII 44. 5.

expiandis, quae Locris in templo Proserpinae tacta ac violata elataque inde essent. Pleminius autem ipse in catenas coniectus est; *praetor* vero *legatique Locros profecti, primam, sicuti mandatum erat, religionis curam habuere: omnem enim sacram pecuniam ... in thensauris reposuerunt ac piaculare sacrum fecerunt,* teste eodem scriptore XXIX 21. 2—4.

Anno a. u. c. 554 idem Proserpinae templum violatum esse idem Livius auctor est XXXI 12. Quamquam initio nulla vestigia eorum, ad quos facinus pertinebat, inventa sunt, (comprehensi vero sunt noxii non multo post, cf. XXXI 13. 1) tamen C. Aurelius consul ad praetorem in Bruttios scripsit placere senatui: *quae inventa pecunia esset reponi; quo minus inventum foret, expleri, ac piacularia, si videretur, sicut ante pontifices censuissent, fieri.*

Aliud exemplum Livius narrat XLII 3. Anno 581 a. u. c. aedes Iunonis Laciniae a Q. Fulvio Flacco censore detecta est, ut tegulis marmoreis huius templi aedem urbanam Fortunae Equestris ornaret. Res ad patres relata est et *in unam omnes sententiam ierunt, ut eae tegulae reportandae in templum locarentur piaculariaque Iunoni fierent.*

Lex erat antiqua, quae Tullo Hostilio a Romanis tribuebatur, qua cautum erat, ut ob incestum fratris et sororis res publica per pontifices piaculo placaret deos, cf. Tacit. *Ann.* XII 8 *addidit Claudius sacra ex legibus Tulli regis piaculaque apud lucum Dianae per pontifices danda, irridentibus cunctis, quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirerentur.*

Virgo Vestae, quae amissa virginitate Romanorum sacra polluerat, statim ubi deprehensa erat *abstinere a sacris* iubebatur, teste Livio VIII 15. 8 [1]. Virginis autem vivae sepulturam non solum ipsius noxiae poenam fuisse, sed etiam rei publicae piaculum, varia demonstrant indicia. Etenim virginis morte placari numina Romani firmiter cre-

1) Cf. etiam Dionys. IX 40: μεταστήσαντες αὐτὴν ἀπὸ τῶν ἱερῶν.

debant, ut auctor est Dionysius VIII 89: *καὶ παραχρῆμα μετὰ τοῦτο* (post virginem defossam) *καλὰ τὰ ἱερὰ καὶ τὰ μαντεύματα, ὡς ἀφεικότων αὐτοῖς τῶν θεῶν τὸν χόλον, ἐγίνετο,* et IX 40: *ἡ μὲν οὖν νόσος ἡ εἰς τὰς γυναῖκας καὶ ὁ πολὺς αὐτῶν φθόρος μετὰ τοῦτο τὸ ἔργον εὐθὺς ἐπαύσατο.* Pontifex quoque, dum horrenda illa perficiebat, arcana quaedam precabatur, ut narrat Plutarchus *Num.* 10. Denique Vestalium sepultura et sacrificium Graeci et Graecae, Galli et Gallae magnopere inter se sunt similia. Restat ut commemorem, Vestali in cella subterranea semper appositam esse mensam cum modico panis aquae olei, ne Romani cautissimi sibi viderentur corpus illud olim sacratissimum fame consumpsisse ideoque commisisse piaculum.

Quod si virginis neglegentia sacer Vestae ignis erat exstinctus, ipsa Vestalis teste Paulo M 106 L 94 et Livio XXVIII 11. 6 flagris caedebatur, nisi ipsius deae prodigio innocentia virginis lucide apparuerat, cf. Val. Max. I 1. 7 et Dionys. II 68. Verberatio vero ipsi virgini poena, rei publicae piaculo erat, quod egregie probant Aemiliae Vestalis verba apud Dionys. II 68: *εἰ δ' ἀνόσιόν τι πέπρακταί μοι, ταῖς ἐμαῖς τιμωρίαις τὸ τῆς πόλεως ἄγος ἀφάγνισον,* quod vertitur: *quod si piaculi a me contracta fuerit commissio, meo supplicio rem publicam expiato.* Ipsum autem ignem exstinctum gravissimum Romani habebant prodigium, quod hostiis maioribus supplicationibusque procurare saepius solebant, cf. Liv. XXVIII 11. 7.

Sed iam satis dixisse de Vestalium piaculis mihi videor. Nam omnino consentio cum Bouché-Leclercq, qui ad Vestalium sepulturam haec adnotat (Daremberg—Saglio III 1423): „*Je croirais volontiers, que les pontifes ont imité ici des rites grecs, connus ou inconnus, relatifs à l'enterrement des καθάρματα*" [1]).

---

1) Originem Graecam piaculorum Vestalium indicant tum similitudo cum sacrificio Graecorum Gallorumque (cf. Liv. XXII 57. 4), tum discrepantia a ceteris Romanorum piaculis, tum praesertim ipsius *διαμαστιγώσεως* religiosa significatio, de qua conferas Schwenn, *die Menschenopfer bei den Gr. u. Röm.*, p. 96. Compares mortem quoque Antigonis apud Sophoclem et eiusdem *Electr.* v. 382.

3. DE PIACULIS OPERIS FACIENDI OPERISQUE PERFECTI.

In Romanorum cultu atque religione homines pios aut necessitate coactos aut iustissima causa impulsos nonnumquam prudentes piaculi commissione laesisse ius divinum difficillimum, facile intelligitur.

Causae autem tres erant, cur talis homo piacularis sacrificii liberaretur.

a. Si vera aderat necessitas, vel *aliquid ad urgentem vitae utilitatem respiciebat*, ut iure observat Macrobius *Sat.* I 16. 11. *Quid* enim *observationi locus*, ait I 16. 20, *cum eligendi facultas non supersit?* Et recte Servius ad Vergil. *Georg.* I 270: *scimus necessitati religionem cedere.*

b. Si quis opus ad deos pertinens sacrorumve causa faciebat, cf. Macrob. *Sat.* I 16. 11. Lex templi Furfonis *C. I. L.* 3513 (= Bruns[6], p. 260) ut aedes reficeretur vel *ferro oeti* absque piaculari sacrificio sinebat.

c. Si maius et minus nefas inter se contraria erant pugnabantque. Ut exemplo utar: Sacerdoti, cui cadaver attingere fas non erat, cum insepulto corpore invento maiore religione coactus glebam inicere iubebatur, piaculare sacrificium praescriptum non erat. *Religio enim alia religione solvitur*, ut ait Servius ad Vergil. *Aen.* XII 245.

Si vero alia causa aderat, cur sacrum committeretur, quae quamquam erat gravis, tamen ad tres illas quas modo commemoravi (necessitatem urgentem dico, deorum cultum, religionem maiorem) reduci non poterat (quod plerumque accidebat, si aliquid praetermissum noceret), *piaculum operis faciendi* divino iure erat praeceptum. Quod piaculum, ut ipsae voces indicant, sacrum committendum praecedere debebat.

a. De piaculo operis faciendi.

Luci sacri violationem gravissimum fuisse piaculum iam supra p. 47 memoravi, quod ab Ovidio *Met.* VIII 738 sq., *Fast.* IV 751 sq. confirmatur. Quare si lucus erat conlu-

candus, prius faciendum erat piaculo operis faciendi, cf. Plin. *N. H.* XVII 267 *idem (Cato) arbores religiosas lucosque succidi permisit, sacrificio prius facto, cuius rationem precationemque eodem volumine tradidit.* Ritum huius piaculi ipse Cato narrat *de agr.* 139: *lucum conlucare Romano more sic oportet: porco piaculo facito, sic verba concipito: 'si deus, si dea es, quoium illud sacrum est, uti tibi ius est porco piaculo facere illiusce sacri coercendi ergo harumque rerum ergo, sive ego sive quis iussu meo fecerit, uti id recte factum siet, eius rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi domo familiaeque meae liberisque meis: harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo inmolando esto'.*

Apud fratres Arvales piaculum luci conlucandi singulis annis mactatur statuto die, i. e. secundo die sacri deae Diae [1]); constat sacrificium ex duobus porcis piacularibus, quae immolantur in ara ante lucum (cf. acta ann. 87, 90, Henzen, p. 20); vocatur vero sacrificium *porcae piaculares luci coinquendi et operis faciundi.* Cuius generis piacula fere omnia enumerat Henzen *l. l.*, p. 20 et 21; addenda tamen sunt quae inveniuntur in tabula marmorea, anno p. Chr. n. 1914 reperta [2]), qua nova quaedam notatu dignissima continentur, quibus clarius Romanorum ritus illustratur. Pertinent ad acta fratrum Arvalium anni p. Chr. 240, IV Kal. Iun. *[in luco deae Diae Fab. Fortunatus Victorinus promag. ad aram immolavit porcilias piaculares n. II luci coinquiendi et operis faciundi] ... reversus subsellis conse[dit. deinde reversus ad ar]am deae Diae extas porciliarum reddidit ... f[elic.] dix. et in tetrastulum reversus est et subsellis c[ons.] et in codice cavit se adfuisse et sacr. fecisse et extas [red]didisse; praetexta deposuit et in balneo ibit. rever[sus] collegas suos venientes excepit: postquam plenus nu[me]rus collegarum convenit ... mensa pumila sine ferro ante ipsos posita est et panes siligineos accep. et de sangunculo por-*

---

1) Cf. Henzen, *A. Fr. A.*, p. 18 sq.
2) Cf. Dessau, *Inscr. Lat.* III, 2, n. 9522.

ciliarum vesciti sunt et de porcilias partiti et epulati sunt ... [1]).

Mirum est in lege luci Spoletini *C. I. L.* XI 4766 (= Bruns[6], p. 260) cum de conlucatione annua agitur, piaculum operis faciendi non commemorari: *neque cedito, nesei quo die res deina anua fiet; eod die, quod rei dinai causa [f]iat, sine dolo cedre [l]icetod.* Ratio, cur hic piaculum praescriptum non sit, haec est, ni fallor, quod lignum in ipso luco ad sacrificia consumebatur ideoque exportandum non erat, cf. acta fr. Arvalium anni 14 (Henzen, p. XXIX 3): *c(ensuerunt): [cum arbo]r vetustate in luco deae Diae cecidisset, ut [in luc]o ad sacrificium consumeretur, neve quid [ligni] exportaretur*, quo casu piaculum arboris caedendae causa factum non est.

Cum piaculo luci conlucandi arcte cohaerent piacula ea quibus apud Arvales fiebat, cum in sacro luco arbores ramive tempestate perusti vel vetustate delapsi caedendi erant et exportandi; quae sacrificia omnia uno *piaculorum minorum* nomine Henzen comprehendit. Piacula haec minora immolata esse, a n t e q u a m arbores delapsae perustaeve caederentur exportarenturve, ideoque piacula fuisse revera operis faciendi dilucide probatur actis annorum 105, 118, 38. Legimus enim in actis anni 105 p. Chr. n. (Henzen, p. CXLVI, I 29): *in aedem Conco[rdiae fratres Arvales convenerunt] ibique referen[te M. Valerio Trebicio Deciano mag(istro) ad] collegas de arbor[ibus lauribus in luco deae Diae, quod] a tempestatibus per[ustae essent, placuit piaculo fac]to caedi ...* (v. 38) *in luco deae Diae piaculum factum [ob arbores lau]rus caedendas, quod tempestatibus perusta[e erant,] porcis et agnis, struibus fertisque per M. Valeri[um] Trebicium Decianu[m];* in actis vero anni 118 (Henzen, p. CLII, I 41): *[i]n luco deae Diae piaculum factum ob arb[orum caeden]darum causa, quae tempestate vel vi maiori decide[rant] porcis et agnis, [s]truibus fertisque per M. Valerium Trebicium Deci[anu]m mag(istrum);* denique in actis anni 38 (Henzen, p. XLIII 22): *Taurus Statilius Corvinus pro-*

---

1) Wissowa, *R. K.*[2], p. 414, *porcas piaculares* iniuria *praecidaneam* (*Voropfer*) habet.

magister ob ramum vetus[tate delaps]um in luco deae Diae sacrificium piaculare fecit ramumqu[e exportari iu]ssit [1]).

Constat igitur piacula in luco deae Diae ob arbores delapsas perustasve facta, revera fuisse piacula operis faciendi arboris caedendae exportandaeve causa. Quare iam alia eiusdem generis piacula, in actis Arvalium relata, enumerare pergam. Hoc tantum praemonere iuvat, quod certe miraberis, varias locutiones, quibus commentarienses utantur, nonnumquam parum accurate esse usurpatas, quo facile videre est vim verbi *piandi* iis iam minus claram fuisse atque perspectam.

Act. anni 66 (Henzen, p. LXXXII 22): *[piaculum factum o]b arborem, quae ceci[derat in luco deae Diae, ... porcam et agna]m opimam.*

Act. anni 72 (Henzen, p. XCVIII 14): *[piacul]um factum [in luc]o deae Diae ob arborem, qua[e a] tempestate de[ciderat].*

Act. anni 81 (Henzen, p. CVI 18): *in luco deae Diae piaculum factum ... quod arbor a vetustate decidit, expiandum porcam et agnam opimam.*

Act. anni 81 (Henzen, p. CIX 5): *in luco deae Diae piaculum factum ... ob arbores quae a tempestate nivis deciderant exp[i]andas, porcam et agnam opimam.*

Act. anni 87 (Henzen, p. CXX 55): *in luco deae Diae, quod ramus ex arbore ilicina ob [v]etustatem deciderit, piaculum factum est.*

Act. anni 89 (Henzen, p. CXXII 48): *[in luco piaculum] factum ob a[rbor]em expiata.*

Act. anni 90 (Henzen, p. CXXVII 1): *[in luco deae Diae piaculum factum ... porc]am et agnam expiatam arborem ob vetustatem quod decidit.*

Act. anni 91 (Henzen, p. CXXXI 26): *[piaculum factum ..]. . in [luco deae Diae porcam et ag]nam. expiata arbor, quod vetustat[e decidit].*

Act. anni 101 (Henzen, p. CXLIII, II 1): *[piaculum fac-*

---

1) Etiam exportationem esse sacrum commissum lex Spoletini luci docet: *honce loucom ne quis violatod, neque exvehito neque exferto quod louci siet.*

tu]m, quod arbor vetusta[te deciderat, porcam et agnam struibu]s fertisq[ue].

Act. anni 155 (Henzen, p. CLXXI 59): *in luco [deae Diae piaculum fact]um ob arborem expiandam, quae ve[tustate deciderat, porca]m et agnam, struibus ferctisq(ue).*

Cum his omnibus (Henzeni *minoribus*) piaculis operis faciendi arcte coniunctum illud quoque sacrificium piaculare est, de quo Plinius *N. H.* XV 77: *fuit et ante Saturni aedem urbis anno CCLX sublata (ficus), s a c r o a Vestalibus f a c t o, cum Silvani sacrum subverteret.*

Cum in luco sacro fodiendum erat, quod sive fossa erat ducenda, sive novae arbores reponendae [1]), teste Catone *de agr.* 140, similiter piaculum operis faciendi erat mactandum: *si fodere voles altero piaculo eodem modo facito; hoc amplius dicito operis faciendi causa* [2])...; *dum opus, cotidie per partes facito. si intermiseris aut feriae publicae intercesserint, altero piaculo facito.* Piaculo opus est, quia fodiendo lucus *ferro movetur*, cf. Columell. XI 2. 95.

I u r a quoque m a n i u m sua operis faciendi exigebant piacula, quod docet *C. I. L.* X 8259 (= Dessau 8381): *[d.] m. [s. C]ollegi[u]m pon[tif]icum d[e]crevit: si ea ita sunt, que libelo [c]ontenentur, placere per[ge]re* [3]) *puela [de] q(ua) agatu[r s]acelo [eximere et i]ter[um ex] pra[escr]ipto [d]eponere et scripturam tituli at pristinam formam restituere, piaculo prius dato operis faciendi ove atra.* Duae igitur piaculi sunt causae: una est corporis

---

1) Cf. act. fr. Arv. anni 224 (Henzen, p. 141), ubi immolatum esse refertur *aliarum (arborum) restituendarum causa* et *quod in eo luco sacro aliae (arbores) sint repositae.*

2) Verba quaedam intercisa videntur. De Marchi, *Il culto privato*, p. 132, n. 2, difficultatem solvere conatur alia ratione. Verba enim *operis faciendi causa*, signis „." includit, hanc rationem addens: *„Le parole che ho creduto mettere virgolate le intendo come una variante da aggiungere alla formola di preghiera citata nel capo precedente."* Errat vir doctus. Piaculum enim praecedens, luci conlucandi dico, ipsum piaculum operis faciendi erat.

3) *Pergere:* duae litterae tantum periere, teste Dessau. Ipse supplevi.

denudatio, de qua Paul. *Sent.* I 21. 4: *qui corpus perpetuae sepulturae traditum... nudaverit... piaculum committit;* altera tituli restitutio, quam ob restitutionem ex parte saltem veteris tituli erasio erat necessaria. *Qui* enim *monumento inscriptos titulos eraserit,* Paulo teste *l. l.* 8, *sepulcrum violasse videtur.*

Eodem modo si cadaver transferendum erat, piaculo deos placare oportebat, cf. Paul. *Sent.* I 21. 1 *ob incursum fluminis vel metum ruinae corpus iam perpetuae sepulturae traditum, solemnibus redditis sacrificiis, per noctem in alium transferri locum potest.* Cuius piaculi generis exemplum praebet *C. I. L.* VI 1884 (= Dessau 1792): *M. Ulpio Aug. lib. Phaedimo ‹... › abscessit Selinunte pri. idus Augus. Nigro et Aproniano cos., reliquiae treiectae eius III nonas Febr. ex permissu collegii pontific. piaculo facto Catullino et Apro cos.*

Mortuorum monumenta si intra oppidi fines erant aedificata, ex coloniae Genetivae lege, ut supra vidimus p. 84, aedilibus erant dimolienda. Verbis autem c. 73, *si adversus ea mortuus inlatus positusve erit, expianto, uti oportebit,* piaculum esse indicatum operis faciendi, id est monumenti dimoliendi cadaveris nudandi et transferendi, ex iis quae sunt praedicta, facile intelleges [1]).

Antiquissimis rei publicae temporibus tum quoque Romanos dis piaculum sacrificasse novimus, cum sacrata lege coacti sacri hominis c a p u t atque b o n a numinibus c o n s e c r a r e cogebantur. Quam consecrationem corruptissima illa Festi verba spectant (M 309 L 404), quae hoc modo Lange [2]) supplevit: *Sin[nius Capito ait, cum civ]is necaretur, i[nstitutum fuisse, ut] Semoniae res s[acra fieret verve]ce bidente, [ut eo sacrificio poe]na solutis ci[vibus, quidquid ex dam]nati*

1) Cf. Mommsen, *Strafrecht,* p. 812. Quod ad monumenti restitutionem attinet, vide Ulpian. *Dig.* XI 8. 5. 1 et *Cod. Theod.* IX 172, ubi de libellis agitur a pontificibus impetrandis.

2) Lange, *de consecratione capitis et bonorum.* Cf. Marquardt-Wissowa, *R. St. V.* III, p. 259 et 276 sq.; Wissowa, *R. K.*², p. 388; Lübbert, *Comm. Pontif.*, p. 146 sq.; Danz, *Der sacrale Schutz,* p. 76 sq.

patrim[onio deo deberetur], id fieret sac[rum]. Quodsi cum Festi verbis verba comparaveris Dionys. V 57 *ἡ δὲ βουλὴ καθαρθῆναι ψηφισαμένη τοὺς πολίτας ἅπαντας, ὅτι περὶ πολιτικοῦ φόνου γνώμας ἠναγκάσθησαν ἀποδείξασθαι*, statim apparebit praecipuam rationem, cur piaculare sacrificium Semoniae mactaretur, fuisse eam, ut cives Romani a deorum liberarentur offensa, quod prudentes quidem, necessitate vero coacti, hominem capitis damnavissent. Ob damnationem igitur fit piaculo, non vero ob ipsam damnati necem. Quod non est mirandum, cum certissime constet hominem sacrum extra ius humanum fuisse ideoque licite potuisse occidi, (Macrob. *Sat.* III 7. 5; Fest. M 318 L 424 *i.v. sacer mons*). Hoc modo igitur cum Semoniae piaculum consideras, apparet sacrificium illud piaculum esse sacri a prudente quidem, iustissimas vero ob causas commissi [1]). Si vero ea quae ex Festi verbis intercisa sunt, recte Langius supplevit (nec dubito quin quoad rem saltem, id fecerit egregie), altera quoque Semoniae sacrificio ratio subsit necesse est: operis faciendi dico, cum absque praecedente placatione patrimonium hominis damnati, prout funestum atque impurum, dis sacrari non possit.

Sed quando quis capite damnatus impunitate et venia condonatur, di ut ita dicam privantur patrimonio damnati, quod capitis bonorumque consecratione acceperunt; quae profanatio recte ut fieri possit, piaculum operis faciendi est necessarium. Quare verissima sunt verba Mommsenii [2]): „*Wird der Schuldige von der Gemeinde begnadigt, wie dies unter König Tullus bei dem Schwestermörder geschah, so wird den Göttern ihr Recht nicht gewährt und Rom bedarf der Entsühnung.*''

In observandis feriis multa erant quae iure divino omnino erant prohibita; multa quoque, dummodo prius fieret piaculo, iustas ob causas facere licebat, cf. Columell.

---

1) Piaculum *operis perfecti* est, cum, ut re ipsa patet, condemnationi (suffragii enim exitus incertus est) praecedere non queat. De aliis piaculis *operis perfecti* vide infra.

2) Mommsen, *Strafrecht,* p. 903 (testimonia affert Liv. I 26. 13; Fest. M 297 L 380). Vide et Wissowa, *R. K.*², p. 394, n. 1.

II 22. 4: *ne sementem quidem administrare, nisi prius catulo feceris, nec faenum secare aut vincire aut vehere ac ne vindemiam quidem cogi per religiones pontificum feriis licet nec oves tondere, nisi si catulo feceris.*

De flaminica Macrobius *Sat.* I 16. 8 haec narrat: *flaminica, quotiens tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset deos.* Quid sibi velit illud *feriata erat* optime intelliges, si in memoriam revocaveris flaminem Dialem quotidie fuisse feriatum i. e. Iovi ita consecratum, ut ab omni opere deberet abstinere. Flaminica igitur si tonitrua audiverit, et illa ab omni opere abstineat necesse est, donec placarit deos, i. e. donec operis instaurandi causa fecerit piaculo operis faciendi.

Agendum iam nobis est de piaculo percelebri, quod, ut narrant Festus M 189 L 204 et Plutarchus *Marc.* 8, dux Romanus facere solebat, cum s p o l i a o p i m a, quae a milite Romano hosti erant detracta, solemni figebat consecratione. Prae ceteris hoc animadvertendum est, quod egregie enucleavit Norden [1]), accurate distinguenda esse duo spoliorum opimorum diversa omnino inter se genera. Prius genus spoliorum opimorum est celeberrimum illud, unicuique in historia Romana vel mediocriter versato notissimum. Spolia illa ter tantum a duce Romano capta sunt: a Romulo (Plut. *Rom.* 16; Liv. I 10; *C. I. L.* I p. 283, elog. 22 = X 809); a Cosso (Liv. IV 20); a Marcello (Liv. perioch. libr. XX; Plut. *Marc.* 8; *C. I. L.* I p. 458, fast. triumph.). Quibus opimis spoliis duo propria et singularia sunt; unum quod detrahuntur duci a duce; alterum quod Iovi Feretrio consecrantur in Capitolio. Quod varia probant testimonia. Liv. I 10. 6: '*Juppiter Feretri*' *inquit* (*Romulus*): '*haec tibi victor Romulus rex regia arma fero templumque his regionibus . . . dedico sedem opimis spoliis, quae regibus ducibusque hostium caesis me auctorem sequentes posteri ferent*', IV 20. 3: *spolia in aede Iovis Feretri prope Romuli spolia, quae prima opima appellata sola ea tempestate*

1) Cf. Norden, *Vergil: Aeneis Buch VI*, p. 332.

erant, cum sollemni dedicatione dono fixit, IV 20. 6 *ea rite spolia opima habentur, quae dux duci detraxit*; Plut. *Marc.* 8 ὁ μέντοι πολὺς οὗτος ἐπικρατεῖ λόγος, ὡς ἐκείνων μόνων ὀπιμίων ὄντων, ὅσα καὶ παρατάξεως οὔσης καὶ πρῶτα καὶ στρατηγοῦ στρατηγὸν ἀνελόντος; Propert. V 10. 45

nunc spolia in templo tria condita; causa Feretri
omine quod certo dux ferit ense ducem;

Dio Cass. XLIV 4. 3 honores enumerans extra ordinem Caesari datis, σκῦλά τέ τινα ὀπῖμα ἐς τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου νεὼν ἀναθεῖναί οἱ ὥσπερ τινὰ πολέμιον στρατηγὸν αὐτοχειρίᾳ πεφονευκότι et LI 24 καὶ τὸν βασιλέα αὐτῶν Δέλδωνα αὐτὸς ὁ Κράσσος ἀπέκτεινε· κἂν τὰ σκῦλα αὐτοῦ τῷ Φερετρίῳ Διί, ὡς καὶ ὀπῖμα, ἀνέθηκεν, εἴπερ αὐτοκράτωρ στρατηγὸς ἐγεγόνει; Val. Max. III 2. 6 *eodem et virtutis et pugnae genere usi sunt T. Manlius Torquatus et Valerius Corvinus et Aemilianus Scipio. hi etiam ultro provocatos hostium duces interemerunt, sed quia sub alienis auspiciis rem gesserant, spolia Iovi Feretrio non posuerunt consecranda;* Serv. ad Vergil. *Aen.* X 449 *quae dux duci detrahit.... spolia opima. C. I. L.* I p. 283, elog. 22 = X 809 in honorem Romuli *isque primus dux duce hostium Acrone rege Caeninensium interfecto spolia opi[ma] Iovi Feretrio consecra[vit]. C. I. L.* I p. 458, fast. triumph.: *M. Claudius M. f. M. n. Marcellus anno DX[XXI] cos. de Galleis Insubribus et Ger[man.] K. Mart. isque spolia [opima r]ett[ulit d]uce hostium V[iridomaro ad Cl]astid[ium interfecto]* [1]).

Generis autem omnino diversi spolia opima ea sunt, quae commemorant Plutarchus atque Festus. Plut. *Marc.* 8. 4 φασὶν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νομᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων καὶ δευτέρων καὶ τρίτων μνημονεύειν, τὰ μὲν πρῶτα ληφθέντα τῷ Φερετρίῳ Διὶ κελεύοντα καθιεροῦν, τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἄρει, τὰ δὲ τρίτα τῷ Κυρίνῳ, καὶ λαμβάνειν γέρας ἀσσάρια τριακόσια τὸν πρῶτον, τὸν δὲ δεύτερον διακόσια, τὸν δὲ τρίτον ἑκατόν. Fest. M 189 L

---

1) Testimonia permulta et imago numismatis, in quo simulacrum expressum est Marcelli spolia figentis, habentur apud Roscher *M. L.* II 1. 671.

204 *cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Iovi Feretrio bovem caedito; qui cepit aeris CCC darier oportet. secunda spolia, in Martis ara in campo solitaurilia utra voluerit caedito, [qui cepit, aeris CC dato]. tertia spolia Ianui Quirino agnum marem caedito; C qui ceperit ex aere dato. cuius auspicio capta, dis piaculum dato* [1]. Quae lex a Festo relata Pompilio regi tribuitur. De hisce regiae legis spoliis haec, ni fallor, certe constant. Lex Pompili regis multo vetustior est habenda quam ipsa origo eius fabulae, quae de Romuli spoliis opimis est. Etenim Pompili legis spolia consecranda Iovi Marti Quirino sunt, deorum illi triadi, quae pertinet ad cultum Romanorum antiquissimum [2]; deinde lex agit de spoliis, quae a milite sub alterius auspiciis pugnante, non ab ipso duce capiuntur; denique Pompili regis spolia hostium militibus, minime vero duci detrahuntur. Si enim magnitudinem praemiorum et praecipue praemiorum diminutionem attente consideraveris, facile videbis legem regiam ad eos spectare Romanos bellatores, qui in una eademque pugna prae ceteris militibus excelluerunt; quorum trium virorum fortium maximum honorem is obtinet, qui primus omnium hosti ultro provocato procincta acie spolia detraxit, minorem qui secundus, minimum qui tertius. Quare Pompili legis spolia honore a Romuli Cossi Marcelli spoliis toto coelo distant et eiusdem dignitatis sunt habenda ac minora illa spolia opima, de quibus Livius agit XXIII 46. 13: *Taurea ... ubi esset Claudius Asellus quaesivit et quoniam verbis secum de virtute ambigere solitus esset, cur non ferro decerneret daretque spolia opima victus aut victor caperet.* Quae *opima spolia* eiusdem generis sunt atque ea quae *spolia provocatoria* a Gellio nominantur *N. A.* II 11. 3.

Duo autem spoliorum opimorum adeo inter se dissimilia genera, ut Romuli et Pompili legis spolia erant, ipsi Romani

---

1) Emendavit C. O. Müller. Emendationem esse rectam praecipue ostendunt verba Plut. *Marc.* 8, cf. Bruns^{6}, p. 8 sq..

2) Cf. Norden, *l. l.* et Wissowa, *R. K.*^{2}, p. 23. In memoriam revoces flamines Dialem Martialem Quirinalem.

posteriore tempore iam non internoscebant; et omnia omnino turbata essent, nisi Livius rem valde intricatam enucleasset [1]. Mirabile sane est, graviter errasse virum divinarum rerum peritissimum, Vergilium dico *Aen.* VI 859, cum de Marcello caneret:

tertiaque arma patri suspendit capta Q u i r i n o.

Quem Vergilii errorem Servius hunc locum explicans ipse errando planius profert in lucem: *possumus et, quod est melius, secundum legem Numae hunc locum accipere, qui praecipit prima opima spolia Iovi Feretrio debere suspendi, quod iam Romulus fecerat; secunda Marti, quod Cossus fecit; tertia Quirino, quod fecit Marcellus . . . varie de hoc loco tractant commentatores, Numae legis immemores, cuius facit mentionem et Livius* (cf. perioch. lib. XX). Sed et Varro mihi videtur Numae legis spolia a Romuli spoliis non recte diiudicasse, quod indicatur fragmentis Festi M 189 L 202, qui tum alia tum Varronis verba refert, quae utinam essent minus graviter mutilata: *unde spolia quoque quae dux populi Romani duci hostium detraxit; quorum tanta raritas est, ut intra annos paulo . . . trina contigerint nomini Romano: una quae Romulus de Acrone; altera quae consul Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia quae M. Marcellus de Viridomaro Iovi Feretrio* [2] *fixerunt. M. Varro ait opima spolia esse, etiam si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium*

. . . .

non sint, ad aedem Iovis Feretri poni, testimonio esse libros pontificum; in quibus sit: pro primis spoliis bove, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere; esse etiam Pompili regis legem opimorum spoliorum talem: cuius auspicio cet. Legem ipsam vide supra p. 99. Quae truncata Varronis verba ut melius intelligas, id in memoriam revocare haud erit inutile, litem fuisse inter Romanorum historiae peritos,

---

1) In libro XX, uti collato Serv. ad Verg. *Aen.* VI 859 probat Norden, *l. l.*; Plutarchus *Marc.* 8 Livium refert, ni fallor.

2) Ordinem verborum mutavi; cod.: *Marcellus Iovi Feretrio de Viridomaro fixerunt.*

num et ille qui non suis sed alienis auspiciis rem gessisset ducemque hostium provocatum sua manu interfecisset, maximum spoliorum opimorum quaerere posset honorem [1]. Causa litis, ni fallor, in eo sita erat, quod veteres annalium scriptores nonnulli contendebant Cossum, cum Tolumni hostium ducis spolia caperet, consulem non fuisse sed non nisi tribunum militum [2]. Qua in lite Varro partes sequebatur eorum, qui vel gregarium, dummodo hostium duci spolia detraxisset, spoliorum Romuli honorem adeptum esse affirmabant; hoc tamen discrimine, quod, ut ipse ait, spolia quae duci a duce et spolia quae duci a gregario detracta sint ita inter sese differant, ut illa tantum Iovi sacrificanda sint Feretrio. Quam sententiam Varro ut probet, ad spolia opima Pompiliae legis appellat. Iniuria ni fallor. Opima enim Numae legis spolia dissimilis omnino sunt generis [3].

Quod ad sacrificia legis Numae attinet, constat ipsi duci, cuius auspicio capta spolia essent, piaculum dandum fuisse. Quae fuerit ratio piaculi in aperto est. Spolia enim prout mortuo detracta funesta erant. Cum autem in rebus sacris omne funestum longe deberet abesse, in spoliis consecrandis opimis piaculum operis faciendi fuisse praescriptum necesse est. Quare et bovem Iovi et solitaurilia Marti et agnum Quirino mactatum operis faciendi fuisse piacula apud me constat. Cum hac sacrificiorum horum explicatione omnino congruit ipse dicendi modus librorum pontificum: *pro primis spoliis bove, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere.* Iovi autem bove piaculum fieri, lex docet luci Spoletini *C. I. L.* XI 4766 (= Bruns[6], p. 260), Marti solitaurilibus Liv. VIII 10. 14 *Marti suovetaurilibus piaculum fieri*; sacrificia vero Quirino [4] mac-

1) Florus quoque I 33. 11 Scipionis *opima spolia* commemorat, licet certissime constet Scipionem alienis auspiciis bellum gessisse.

2) De hac ipsa lite vide Liv. IV 20. Cuius litis solutionem relinquimus iis, qui chronologicis student quaestionibus. Cf. Niese, *Hermes* 13, p. 412 et Mommsen, *Röm. Forsch.*, II 236.

3) Sententiam omnino aliam defendet Hertzberg, *Phil.* I (1846), p. 331 sq.; Voigt, *Abh. der Leipz. Ges. der Wiss.*, XVII, p. 561 sq..

4) Agi de Quirino, non de Iano Quirino observat Wissowa, *R. K.*[2], p. 23, n. 2.

tata omnino ignoramus. Verbis autem *solitaurilia utra voluerit* solitaurilia significari *sive lactentia sive maiora*, recte observavit Scaliger (cf. Bruns[6], p. 9, n. 1). Quod ad ultima legis verba spectat *cuius auspicio capta, dis piaculum dato* verbis illis iterum inculcatur, non militi sed ipsi duci, cuius auspiciis res gesta sit, piaculum Iovi Marti Quirino esse faciendum. Vertendum igitur est: „H e t piaculum moet door den veldheer zelf gebracht worden."

Cum h i e r a b o t a n e, quae Romanis magnae erat religioni, c o l l i g e n d a erat, teste Plinio *N. H.* XXV 105—107, piaculo fiebat operis faciendi: *nulla tamen Romanae nobilitatis plus habet quam hiera botane... haec est quam legatos ferre ad hostes indicavimus; hac Iovis mensa verritur, domus purgantur lustranturque... colligi debere circa canis ortum ita, ne luna aut sol conspiciat, favis ante et melle terrae ad piamentum datis* [1]).

Quaedam operis faciendi piacula cum m a t r i m o n i o sunt connexa. Gellius N. A. IV 3. 3 antiquam legem, quae Numae tribuitur, hisce verbis tradit: *paelex a e d e m Iunonis ne tangito; si t a n g i t Iunoni crinibus demissis agnum feminam caedito.* Paulus M 222 L 248 eandem legem referens verbis paulum cum Gellio discrepat: *antiqui proprie eam pelicem nominabant, quae uxorem habenti nubebat. cui generi mulierum etiam poena constituta est a Numo Pompilio hac lege: 'pelex a r a m Iunonis ne tangito; si t a n g e t, Iunoni crinibus demissis agnum feminam caedito'.* Wissowa [2]) verba mendo laborare opinatus commendat: *paelex a r a m ne tangito; si t a g i t.* Quae si emendatio vera esset, sacrificium paelici praeceptum piaculum esset commissi. Sed iustam causam, cur Pauli verba mutemus, minime adesse existimo. Etenim, nisi omnia me fallunt, de piaculo agitur o p e r i s f a c i e n d i. Vis enim legis haec est: paelici neque Iunoni sacrificare neque iurare per Iunonem licet; quodsi

---

1) Cf. XXV 30 *(panace) evolsa scrobem repleri vario genere frugum religio est ac terrae piamentum.* Num de cultu agitur?

2) Wissowa, *R. K.*[2], p. 185, n. 5.

velit facere, prius Iunoni crinibus demissis agnum feminam caedito. Verba *aras tangendi* duplicem vim habent: *sacrificandi* dico et *iurandi*. Quod ad sacrificandi significationem attinet cf. Macrob. *Sat.* III 2. 8 *Varro divinarum libro quinto dicit aras primum asas dictas, quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri;* Serv. ad Vergil. *Aen.* IV 219 *veteres 'asae' dicebant... quod Varro libro quinto rerum divinarum plenius narrat: 'necesse enim est aras a sacrificantibus teneri; quod si non fieret, diis sacrificatio grata non esset', quo plenius intellegi voluit, gratum hoc esse numinibus, subiungendo: 'arasque tenentem audiit omnipotens'* et ad VI 124 *rogabant enim deos ararum ansas tenentes.* Quare Horatius *Od.* III 23. 17 *immunis aram si tetigit manus.* Sed et solemniter iuranti aras tangendas fuisse, varia demonstrant scriptorum veterum testimonia. Cf. Plaut. *Rud.* 1333 *tange aram hanc Veneris. — tango. — per Venerem hanc iurandumst tibi* et 1336 *tene aram hanc. — teneo. — deiera te mi argentum daturum;* Cic. *pro Flacc.* 90 *si aram tenens iuraret, crederet nemo;* Vergil. *Aen.* XII 200

audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit;
tango aras; medios ignis et numina testor;

Nep. *Hann.* II 4 *me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque... tenentem iurare iussit;* Propert. IV 20. 25 *qui tactas in foedera ruperit aras.* Paelicis locus et conditio igitur ei de qua modo egimus Flaminicae conditioni omnino contraria est (cf. p. 97). Flaminica enim tonitrui sacrata et feriata profana peragere non potest, nisi prius piaculum huius operis faciendi mactaverit; paelex prout profana et impura, antequam rem sacram peragat, prius piaculum faciat oportet.

Plutarchus de temporis spatio agens, per quod Romanorum matronae mariti mortem lugere iubentur, inter alia haec habet (*Num.* 12): *ἀλλὰ τοῦ μακροτάτου πένθους χρόνον εἶναι δεκαμηνιαῖον, ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύουσιν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες· ἡ δὲ πρότερον γαμηθεῖσα βοῦν ἐγκύμονα κατέθυεν ἐκείνου νομοθετήσαντος.* Non dubito, quin Numae lex fuerit: ... *si nubet,*

Telluri bovem fordam caedito. Piaculum operis faciendi est. Telluri sacrificatum esse verisimile videtur. Etenim prisci Latini nuptiarum initio ipsi Telluri porcum immolabant, eamque in nuptiarum auspiciis invocabant atque nuptiis praeesse rebantur, teste Varrone *de r. r.* II 4. 9 et Servio ad Vergil. *Aen.* IV 166. Quare et hoc piaculum ad Tellurem pertinere recte iudicabis.

Nonius M 480 L 769 aliud piaculum cum matrimonio cohaerens commemorat: *Varro Antiquitatum rerum divinarum lib. XIV: 'biviris nuptis sacrificabantur in cubiculo viduae'.* Hoc piaculum in viduae cubiculo mactatum piaculum fuisse operis faciendi, quo manes prioris mariti placaret, antequam officiis uxoris fungeretur erga novum virum in promptu apertumque est.

Festo M 74 L 65 testante *diffarreatio genus erat sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio; dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhibito.* In quo sacro ritu peragendo *sacerdotes confarreationum et diffarreationum* adstabant, cf. *C. I. L.* X 6662 (= Dessau 1455). Sacrificium piaculum fuisse operis faciendi i. e. matrimonii dissolvendi, ipsa re patet. Recte Rossbach [1]: „*Die Götter, unter deren Schutze die Ehe geschlossen war, waren erzürnt, sie droheten Rache und mussten besänftigt werden.*"

Plutarchus *Q. R.* 50 agens de diffarreatione aliqua infaustissima, priscis temporibus ignota, facta tamen Domitiano principe inter flaminem Dialem et flaminicam, haec addit: *οἱ δὲ ἱερεῖς παρεγένοντο τῇ τοῦ γάμου διαλύσει, πολλὰ φρικώδη καὶ ἀλλόκοτα καὶ σκυθρωπὰ δρῶντες.* Ex quibus verbis sequitur, ni fallor, in diffarreationis ritu, uter coniunx in culpa fuerit, eum impium iudicatum esse et exsecratum a diffarreationis sacerdotibus.

Notissimam Romuli legem oblivioni detraxit Plutarchus in eius vita 22: *ἔθηκε δὲ καὶ νόμους τινὰς (ὁ 'Ρωμύλος), ὧν σφοδρὸς μέν ἐστιν ὁ γυναικὶ μὴ διδοὺς ἀπολείπειν ἄνδρα, γυναῖκα δὲ διδοὺς ἐκβάλλειν ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ καὶ μοιχευθεῖσαν· εἰ δ' ἄλλως τις ἀποπέμψαιτο, τῆς οὐσίας αὐτοῦ τὸ*

---

1) Rossbach, *die röm. Ehe*, p. 127 sq..

μὲν τῆς γυναικὸς εἶναι, τὸ δὲ τῆς Δήμητρος ἱερὸν κελεύων· τὸν δ' ἀποδόμενον γυναῖκα θύεσθαι χθονίοις θεοῖς. Verba ultima recte vertit Bruns[6], p. 6: *qui autem venderet uxorem diis inferis immolari.* Rossbach [1]) Plutarchi verbis plane aliam significationem tribuit: „*Noch unrichtiger aber erscheint es uns, wenn man hieraus schliessen will, dass der Mann, welcher seine Frau unrechtmässiger Weise verstiess, als 'sacer' getödtet worden sei. Das der Demeter geweihete Gut ist eben die Sühnung des Verbrechens, es macht den Sünder frei. θύεσθαι heisst hier entweder: für sich opfern oder opfern lassen. Der Mann opferte für sich oder liess durch den Priester den tellurischen Göttern Opfer darbringen, wobei zugleich jene Vermögensstrafe ausgesprochen und vollführt wurde. Demnach wäre einst bei unrechtmässiger Scheidung jeder Manusehe ausser der Vermögensstrafe auch ein Opfer nötig gewesen.*" Quae Rossbachii verba quam contraria sint iuri divino, probare opus non est. Agitur enim de sacro dolo malo a prudente commisso, quo quis semper, ut probavi, impius fiebat et inexpiabilis. Nihilominus piacularia sacrificia facta esse, cum quis uxorem vendidisset, non est quod negam: sacrificia ea dico, de quibus supra egi p. 95 sq., de consecratione bonorum disputans et capitis.

Restant a l i a q u a e d a m operis faciendi piacula, quae quia arcte coniunguntur cum alio sui generis sacrificio, piaculo sc. operis perfecti, in sequentibus recensebo, de operis perfecti piaculo disputaturus.

b. D e p i a c u l o o p e r i s p e r f e c t i.

In actis fratrum Arvalium haud raro scriptum legimus, non solum praecessisse operis faciendi piaculum sed simul etiam successisse piaculum operis perfecti, cum iustas ob causas violatio iuris sacri esset necessaria.

Semper operis perfecti et operis faciendi piaculo simul fiebat, cum apud Arvales a c t a magisterii peracti prioribus mensibus sequentis anni proximi in aedis deae Diae pariete i n s c u l-

---

1) Rossbach, *l. l.*, p. 134, n. 450 *ἀποδόμενος* idem valere dicit ac *ἀποπεμψάμενος = ἀποδόμενος τῷ πατρί.*

perentur. Quae omnia piacula sua diligentia collegit et illustravit Henzen, *Act. fr. Arv.*, p. 128 sq.. Id tantum commemorabo, quod scire ad propositum maxime nostra interest [1]).

Piacula marmoris sculpturae inter annos 59 et 80 in acta referri coepta sunt, ut ostendit Henzen, *l. l.*, p. 128. Primum nobis apparent in actis anni 81 (Henzen p. CVI 20) hac formula: *in luco deae Diae piaculum factum per calatorem et publicos eius sacerdoti ob ferrum inlatum in aedem scrip[t]ur. caussa porcam et agnam opimam;... in luco deae Diae piaculum factum per calatorem et publicos.... ob ferrum de aede elatum porcam et agnam opimam.*

Fiebant ergo piacula *in luco deae Diae* seu *ad deae Diae*, ut indicatur piaculo elationis anni 88 (p. CXX) et quod clarius exprimitur hisce verbis: *ante lucum deae Diae in aram* [2]).

Hostiae huic piaculo propriae porca erant et agna, quarum exta ad aram reddebantur; addebantur vero strues et ferta,

---

1) Ad praeclaras Henzeni emendationes haec notanda sunt. Piaculo elationis anni 91 diem ascribens, titulum hisce verbis explet: *isdem cos.*, cf. *l. l.*, p. CXXVIII 65. Obstat, ut ipse recte annotat, quod illa aetate consules vix ultra quartum mensem fasces gesserunt. Teste autem *C. I. L.* spatium est 31 litterarum, quod ad indicanda consulum nomina non nimis ampla certe sufficit. — Quod ad annum 92 attinet, existimat Henzen, cum dies elationis indicatus non sit, ferrum eodem die esse elatum quo erat inlatum, quippe quod ruptum esset, cf. p. CXXXII n. 12. Notandum tamen est neque anno 221 elationis diem esse indicatum, anno vero 214 nec inlationis diem, ni fallor, nec elationis. — Anno 130 dies inlationis et elationis in actis ita notati sunt: *VIII K. M.... XIIII K....* Henzen p. CLXV supplet *VIII K. M[artias]... XIIII K. [Apriles]*, ideoque inlationis diem 21 Febr., elationis vero 18 Mart. fuisse putat. Iniuria, ni fallor. Acta enim magisterii peracti numquam ante mensem Mart. anni subsequentis inciduntur. Quod in die elationis novi nominantur consules, meae opinioni contrarium non est, cum Hadriano imperante non defuerint trimestres consulatus. Legendum igitur: *VIII K. M[aias]... XIIII K. [Iunias]*. — Anno 156 dies inlationis et elationis in lapide indicantur verbis: *pridie Idus Mart.... Non. Mart.* Erravit sculptor et legendum est: *pridie Idus Mart.... Non. April.* A die 14 Mart. usque ad diem 5 April. nimium esse intervallum iniuria putat Henzen, *l. l.*, p. 129. Quod acta annorum 130 et 225 ostendunt.

2) Cf. piacula luci coinquendi secundo die sacri deae Diae (Henzen, p. 20), quae fieri solebant *in luco* = *ad aram* = *ante lucum in aram* (sic).

libarum species. Generaliter sacer ritus perficiebatur a calatore quodam vice gerente magistri anni peracti et publicis Arvalium. Anno 219 calatoris loco aderat tabularius rationis castrensis. Posteriore vero aetate sacrificare solebat ipse magister anni cuius acta incidebantur, assistentibus variis officialibus, cf. act. ann. 221, 222, 225. Constat igitur sacra piacularia marmoris insculpendi, quae initio ne commemoratione quidem digna habebantur, decursu temporum cum apparatu crescente esse celebrata.

Investiganda iam vera ac propria ratio, cur piacula sculpturae fierent. Commentarienses utuntur hisce formulis: *ob ferrum inlatum in aedem (de aede elatum) scripturae caussa* (ann. 81); *ob ferrum inlatum ut acta insculperentur* ... *ob ferrum elatum* (ann. 91); *ob ferrum inlatum (elatum) scripturae et scalpturae* (ann. 88, 92, 119, 121, 126, 130, 156); *ob ferri inlationem (elationem) scripturae et scalpturae* (ann. 184, 219, 221, 225); *ferri inferendi* ... *ferri efferendi* (ann. 214); *ferrum inferendi (efferendi) scripturae et scalpturae* (ann. 222); anno 225 adduntur ad piaculum elationis verba haec: *et operis perfecti*, cf. Henzen, *l. l.*, p. 131 et 132. Supra p. 92 sq. agens de Arvalium piaculis operis faciendi minoribus, ex ipsis actis ostendi, quam parum accurate in indicandis piaculorum causis commentarienses rem suam gererent. Quare et hic quoque magna cautio erit adhibenda.

Hoc prae ceteris videtur notandum, omnem ferri usum in luco deae Diae fuisse prohibitum; quare et in sacris peragendis ipsi fratres *mensa sine ferro* utebantur (cf. act. ann. 240 apud Dessau 9522, 11), atque arbores ferro si erant fendendae adolendae commolendae, piaculis di placarentur necesse erat (cf. act. ann. 224, Henzen, *l. l.*, CCXIV 5). Cum autem acta in ipsius aedis parietibus interioribus insculperentur [1]), in exarandis titulis haud parvum piaculum committi non est cur fusius explicem. Quod piaculum ut lueretur duo fiebant sacrificia placatoria, *operis faciendi* i. e. marmoris sculpendi et *operis perfecti* scalptura peracta. Utrumque autem piaculum

---

1) Cf. act. ann. 81 *in aedem* et disputationes archaeologicas Huelseni *Eph. Ep.* VIII 350, Hulae et Bormanni *Arch. Ep. Mitt.* XVII.

fiebat, uti vidimus, ante lucum deae Diae in aram, quo tempore opifices ferrum per lucum in aedem inferebant vel ex aede exportabant. Quodsi commentariensium verba: *ob ferrum inlatum, ob ferrum elatum; ferri inferendi, ferri efferendi; ferrum inferendi, ferrum efferendi; ob ferri inlationem, ob ferri elationem* attente consideras, videbis factum esse modo ut piacula praecederent inlationem per lucum in aedem elationemque, modo ut illis succederent. Quod non est mirandum: utrumque enim erat sacro iuri omnino congruum, quia ipsa horum piaculorum natura vi iuris divini id solum expostulat, ut ipsum sacrum committendum praecedant commissoque succedant, quod sacrum commissum de facto non est inlatio vel elatio, sed ipsa sculptura marmoris. Quae si recte explicavi, iure dices in hisce actis fratrum Arvalium vocula *ob* non indicari *quam ob causam*, sed potius *quo tempore* piacula marmoris exarandi fierent; nisi id contendere mavis, commentarienses piaculorum vim omnino non intellexisse, quod forte veri similius est. Nam quid sibi vellent piacula, cum arbores delapsae in luco caedendae essent exportandaeve commentarienses minime habuisse perspectum, uti iam dixi, ex actis ipsis dilucide patet [1]).

Restat, ut ipsis verbis afferam, quid Bouché-Leclercq [2]), de hisce sacrificiis sentiat: „*Ce sont des sacrifices de 'porca et agna opima' pour purifier avant, éloigner après les outils de fer, qui servaient soit à couper le bois, soit à graver sur le marbre les actes du collège*". Contendit igitur tam arborum caedendarum quam scripturae sculpturaeque piacula fuisse *lustrationes*, non aliter atque luci etiam collucandi sacrificiis

1) Ferrum Romano ritu excluditur a sacris, cf. legem Furfensem, *C. I. L.* IX 3513 (= Bruns[6], p. 261); Dionys. III 45; Plin. *N. H.* XXXVI 100; Macrob. *Sat.* V 9. 11 et 13; Serv. ad Vergil. *Aen.* I 448; Ovid. *Fast.* VI 230; Cat. *de agr.* 140 (fodiendo enim *ferro terra movenda est*, ut docet Columella XI 2. 95). Quod ad religionem privatam, cf. Plin. *N. H.* XXIV 12. Quod ad Graecorum cultum cf. Plut. *praec. ger. rei publ.* 26; Isid. *Orig.* VIII 11. 66; Plin. *N. H.* XXXVI 100. Eo magis mirandum est *secespitas*, quibus flamines aliique utebantur ad sacrificandum, ferreas fuisse, cf. Fest. M 348 L 472, Paul. M 349 L 473. Vide Henzen, *l. l.*, p. 132.

2) Daremberg—Saglio, III 416 *i. v.* lustratio.

vim subesse lustralem affirmare non dubitat. Quam difficile autem ipsi Bouché-Leclercq fuerit sibi in hac lustrationis opinione constare, verba modo allata plane indicant, quibus „*pour purifier avant*" inlationis piaculum, contra „*pour éloigner après*" piaculum elationis ab Arvalibus facta esse affirmantur.

Disputanti de operis perfecti piaculis summi momenti ea Arvalium sacrificia maiora habenda sunt, quae annis 183, 218, 224 a fratribus magno ritu sunt immolata [1]).

Anno 183 hoc refertur (Henzen, p. CLXXXVI. I 20 et II 6):

VI id. Februar. in luco deae Diae Q. Licinius Nepos mag. operis inchuandi causa, quod in fastigio aedis deae Diae ficus innata esset, eruendam et aedem reficiendam, inmolavit suovetaurilibus maioribus; item ad aedem deae Diae boves feminas II ... [2]); *item ante Caesareum Divis n. XVI verbec(es) immolavit n. XVI.*

III id. Mai. in luco deae Diae Q. Licinius Nepos mag. operis perfecti causa, quod arboris eruendae et aedes refectae, immolavit suovetaurilibus maioribus; item ad aedem deae Diae boves feminas II ... [2]); *item ante Caesareum* ut supra ....

Acta anni 224 haec habent (Henzen, p. CCXIII):

VII id. Nov. fratres Arval(es) in luc(o).... imm(olaverunt), quod vi tempest(is) ictu fulmin(is) arbor(es) ... attact(ae) arduer(int), ear(um)q(ue) arbor(um) eruendar(um), ferr(o) [f]endendar(um), adolendar(um), commolendar(um), item aliar(um) restituendar(um) causa operisq(ue) inc[h]oandi ara[s] temporal(es)... reficiend(i), eius rei causa lustr(um) miss(um) suovetaurilib(us) maior(ibus); item ante aed(em)... b(oves) f(eminas) a(uro) i(unctas) n. II; item ad ar(as) tempor(ales) dis inf(ra) s(ub)s(criptis)... [3]); *et ante*

---

1) Acta anni 218 valde mutilata sunt; fragmenta nil novi afferunt; quare ea non referam.

2) Enumerantur quindecim sacrificia facienda aliis numinibus, quae in luco coluntur.

3) Sequuntur quindecim sacrificia aliis dis deabusque facta.

Caesar(eum) Genio d(omini) n(ostri) Severi Alexandri Aug. t(aurum) a(uratum); item divis n. XX verbec(es) XX.

III id. Dec. fratres Arval(es) in luco . . . immolav(erunt), quod ab ictu fulminis arbores . . . arduerint, earumq(ue) arborum adolefactarum et coinquendarum, et in eo luco sacro aliae sint repositae et arae temporal(es) refectae, ferri effer(endi), [h]uius o p e r (i s) p e r f e c t i causa lustrum missum suovetaurilib(us) maioribus et cetera q(uae) s(upra).

In hisce actis agitur, ni fallor, de solemni quadam collegii pompa. Cui pompae ut initium facerent fratres, suovetaurilia maiora lustrationis causa circa lucum ducebant, circumitione autem peracta ea Marti [1]) immolabant in luco, id est, ante lucum ad aram. Lustrationis ritu perfecto fratres ascendebant ad ipsam deae Diae aedem, quo cum venissent, ipsam deam placabant duobus bubus feminis; deinde ad varias aras temporales procedebant, ubi cum multis dis deabusque proprio sacrificio sacrificaverant, ut finem pompae imponerent Caesareum adibant, ubi Genio regnantis imperatoris Caesaribusque consecratis proprias immolabant hostias [2]). Quod si quaeris, quae solemnis huius pompae significatio fuerit, duplex, ni fallor, erat. Nam ducebatur non tantum ut prodigia gravia procurarentur, sed etiam ut ubique in sacro luco di placarentur debitis piaculis ob sacra committenda vel commissa. Etenim utroque anno gravia in luco facta erant prodigia: anno 183 ficus in ipso aedis vestigio erat innata; anno autem 224 arbores sacri luci fulmine tactae arserant. Sed easdem ob causas necessaria erant piacula tam operis faciendi quam operis perfecti. Illo enim anno ficus erat eruenda aedesque deae Diae reficienda; hoc vero arbores erutae ferro erant fendendae, adolendae, commolendae: aliae arbores erant restituendae ideoque in luco erat fodiendum: arae temporales erant reficiendae ferrumque adhibendum. Quare l u s-

---

1) Suovetauralia Marti esse mactata, recte probat Oldenberg, *de sacr. fr. Arval. quaest.*, p. 42 sq., cf. supra quoque p. 89 et 90.

2) Anno 183 arae temporales non commemorantur, sive quod eo anno non erant, sive quod ante aedem ipsam deae Diae positae erant, cf. Oldenberg, *l. l.*, p. 46. Eodem anno divis tantum Caesaribus, neque Genio regnantis Caesaris immolatum est.

trum quidem missum existimo, ut mala et noxia a luco arcerentur procurarenturque prodigia [1]: hostias vero alias variis dis deabusque immolatas esse puto, ut ira deorum placaretur, haud minus ea quae ostentis apparuerat quam quae semper a Romanis metuebatur, cum sacrum committere debebant vel commiserant [2]. Quae omnia clariora fient legenti caput tertium, ubi de piaculi et lustrationis discrimine plura sum dicturus.

Praeter sacra fratrum Arvalium pauca sunt piacula operis perfecti, quae a scriptoribus antiquis commemorantur. Varro *de l.l.* V. 83 vocis *pontificis* originem explicans de ponte sublicio haec tradit: *pontifices, ut Scaevola Quintus P. M. dicebat, a posse et facere ut potifices. ego a ponte arbitror; nam ab his sublicius est factus primum ut restitutus saepe, cum ideo sacra et uls et cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* Pontem autem sublicium sine ullo clavo ferreo constructum religioni gravissimae fuisse Romanis, omnibus pernotum habeo [3]. Quare cum vix fieri potuerit, ut sine instrumentis ferreis pons reficeretur, sacrificia a Varrone tradita piacula fuisse operis faciendi et perfecti ferro inlato elatoque veri haud absimile videtur.

Utrum porca praesentanea, quae Cereri immolabatur praesente mortuo, quem erant condituri, (cf. Fest. M 250 L 296; Mar. Vict., Keil VI 25); et sacrificium Lari familiari, quod funere peracto vervecibus fieri solebat (cf. Cic. *de leg.* II 55) piacula fuerint operis faciendi operisque perfecti, nec affimare nec negare audeo. Ad haec sacrificia spectare videntur verba, quae in urna quadam funebri leguntur: *vict. ord. rit. expiat.*, de quibus Mommsen, *Röm. Mitt.*, 1889, VI, p. 173.

---

1) Lustratio nonnumquam vim procurationis prodigiorum habebat, cf. Wülker, *die geschichtl. Entwickl. des Prodigienwesens*, p. 39; plura infra in capite tertio.

2) Oldenberg, *l. l.*, p. 42, lustrum tantum vim piacularem habuisse iudicat, hostias vero ceteras honorarias fuisse. Quod allato Liv. XXI 62. 7 non probatur. Hostiae enim sive maiores sive lactentes solita erant prodigiorum procuratio.

3) Cf. Dionys. III 45; Plin. *N. H.* XXXVI 100.

Quaeritur iam, utrum piacula operis perfecti ex iuris divini legibus praescripta fuerint necne. Plerumque ea iure sacro non fuisse imposita ex eo apparet, quod in actis fratrum Arvalium, cum de arbore caedenda, de ramo exportando, uno verbo de sacro leviore agitur committendo, operis perfecti piacula ne verbulo quidem commemorari solent. Sed cum de sacris agitur, quae per longius temporis spatium sunt continuanda, de exarandis actis dico vel de diuturniore sacri luci refectione, operis perfecti piacula semper in codicibus collegii memorata esse observamus [1]. Eam igitur iuris divini legem viguisse existimo, ut sacro diuturniore a prudente commisso, piaculo operis perfecti fieri deberet, licet iam antea piaculo operis faciendi rite di essent propitiati.

Causae, cur Romani, postquam piaculum operis faciendi rite praecessisset, praeterea etiam operis perfecti piaculo deos placare consueverint, duae mihi videntur indicari posse. Alteram similitudinem dixerim, quae est inter hoc piaculum et piaculum sacri ab imprudente commissi; alteram autem metum quemdam et formidinem esse existimo, ne piaculum operis faciendi diuturnitate amitteret vim qua numina propitiarentur. Similem enim religionem Romanorum mentes occupare videmus, cum quis in luco conlucando vel in fodiendo opus intermiserit, ut narrat Cato *de agric.* 140 *si* (*opus*) *intermiseris .... altero piaculo facito.* Accedit quod per duplicem piationis ritum sacra commissa, natura sua dis perodiosa, includebantur quodammodo sacrificiis placatoriis. Nam attingendis terminis rem quasi totam attingere sibi videbantur Romani. Simile quid et in ponte sublicio factum videmus. Qui cum reficeretur, sacrificia fiebant et uls et cis Tiberim. Quod igitur in ponte

1) Inter Arvalium piacula operis faciendi atque perfecti propter marmoris scripturam scalpturamque duodecim dies intererant anno 81, aliis autem annis scripturae exaratio maius temporis spatium postulabat. Solemnium autem sacrorum anni 183 et 224 operis faciendi et perfecti sacrificia plus mense inter sese distabant.

reparando fieri solebat in spatio reali, in aliis quibusdam sacris committendis quae commemoravi diuturnioribus in spatio fiebat ut ita dicam fluente, puta in tempore.

Conclusio.

Multa hucusque enumeravi piaculorum genera. Quantum congruant, quantum discrepent, accurate investigare et defigere pro viribus conatus sum. Hoc prae ceteris perspicuum factum esse puto, piaculis revera inesse rationem et ordinem bene constitutum. Quare totum systema, quod hac disputatione exstruxi, paucis verbis in fine capitis comprehendere et sub uno aspectu ponere iuvabit.

Disciplinae piacularis conspectus.

De sacro ab imprudente sive commisso sive committendo:

1. Si sacrum commissum est extra caeremonias peragendas:
   piaculum commissi requiritur (p. 39 sq.).
2. Si sacrum commissum est intra caeremonias peragendas:
   hostia succidanea (p. 54 sq.),
   instauratio (p. 66 sq.).
   a. Si sacrum commissum attigit partem caeremoniarum tantum:
   iteratio instauratio partis (p. 64).
   b. Si attigit caeremonias totas vel partem gravissimam:
   iteratio instauratio totius (p. 69).
3. Si adest metus ne sacrum ab inscio et imprudente in caeremoniis peragendis committatur ignotaque maneat:
   hostia praecidanea (p. 72 sq.).

De sacro a prudente sive commisso sive committendo:

1. Si sacrum sive a privato sive a re publica commissum est absque iusta causa dolo malo:
   impietas et inexpiabilitas oritur (p. 82 sq.).

2. Si sacrum commissum est iustas ob causas absque dolo malo nec prius di placari potuerint:
   piaculum operis perfecti requiritur (p. 95 sq.).
3. Si sacrum commissum est in re gravi a magistratu sacerdote civi, ita ut respublica dis timeat iratis:
   inexpiabilis est magistratus sacerdos civis;
   respublica facit piaculo sacri ab imprudente et inscio absque dolo malo commissi (p. 87 sq.).
4. Si sacrum committendum est ob vitae utilitatem urgentem, deorum cultum, graviorem religionem et adest vera necessitas:
   piaculum lege non requiritur (p. 90).
5. Si sacrum committendum est iustam aliam ob causam, sed non adest vera necessitas:
   a. Si agitur de sacro leviore et breviore:
   piaculum operis faciendi requiritur (p. 90 sq.).
   b. Si agitur de sacro graviore et diuturniore:
   sacrum includitur piaculo operis faciendi et piaculo operis perfecti (p. 105 sq.).

CAPUT TERTIUM.

DE PIACULORUM NATURA AC PROPRIETATIBUS.

Piaculorum quae sit natura atque propria ratio; piacula, lustrationes, prodigiorum procurationes qui in Romanorum cultu inter sese differant, difficilis est quaestio sed digna eadem quae solvatur. Etenim cultus Romanorum atque religio in piaculis, lustrationibus, prodigiorum procurationibus maxime continetur, quae si quis bene intellexerit, est cur iure glorietur se Romanorum religionem melius perspexisse.

De piaculorum natura variae quaestiones separatim erunt explicandae: prima, qualis obligatio cum piaculo sit connexa quidque piaculo respondeat in iure civili; altera, unde piacula sint exorta sintque in placatoriis an in purgatoriis an in averruncantibus sacrificiis habenda [1]; tertia, quo modo a ritibus propinquis distinguantur.

1. DE PIACULORUM OBLIGATIONE.

De discrimine agens piaculi et procurationis prodigiorum, Oldenberg [2]) inter alia multa haec dicit notatu dignissima: „*Piacularium igitur sacrorum nomen solis his, in quibus quasi obligatio ex delicto nata cerni potest, tribuendum, ab illis, ubi obligatio statui vix poterit, delictum certe non adest, arcendum censeo.*" Quibus annotationem hanc addit: „*Nemo ignorat obligationis notionem iam a veteribus in ius sacrum illatam esse: 'voti', Cicero inquit, (de leg. II 16. 41) 'sponsio, qua obligamur deo', cf. Ulp. D. 50. 12. 2. Sic quod in iure civili obligatio oriri dicitur aut ex contractu aut ex delicto, in iure sacro ita exprimendum erit, ut obligatio-*

1) Tribus hisce vocibus sacrificia ea significo, quae ab aliis nonnumquam nominantur: *hilastica, cathartica, apotropaea.*

2) Oldenberg, *de sacr. fr. Arval. quaest.*, p. 49.

nem sacri faciendi nasci statuamus aut e voto aut e piaculo [1]. *E prodigiis vero quo modo obligatio oriri possit non video: aliud autem est sacrificium, quod ut deorum ira portentis significata evitetur, cauti faciunt, aliud, quod ut facerent, ipsi delicto sese obligaverunt.*" Maxime idonea ea mihi comparatio videtur, quam Oldenbergius inter vota instituit et contractus. Etenim tam in voti quam in contractus notione necessario continetur obligatio, qua obligatione ablata contractus iam contractus et votum iam votum non est, sed non nisi pia quaedam promissio. Quare egregie vota coaequantur cum contractibus. Delicta e contra et sacra commissa minime coaequari possunt. Nam delicta, ex quibus in iure civili obligatio oritur, furtum sunt, rapina, iniuria, damnum iniuria datum [2], quae quia absque dolo malo fieri non possunt, aut poenae satisfactionisve aut sarciendi damni aut utriusque rei obligatio subsequatur necesse est. Sacra autem sive commissa sive committenda, quae piacularibus sanantur sacrificiis, a delictis omnino differunt, quod testatur ipsa piaculorum natura: culpam enim dolumque malum omnino excludunt.

Cum Oldenbergii sententia fere congruit ea quam Wissowa proponit [3]. „*Dem Zwecke nach mit der Lustration nahe verwandt, aber doch in der Grundanschauung von ihr wesentlich verschieden, ist das Piacularopfer; beide Kultakte dienen dazu, das gestörte oder von einer Störung bedrohte Verhältnis zur Gottheit wiederherzustellen und zu sichern, aber während die Lustration durchaus in der Form einer Bitte, sei es um die 'pax deum' im allgemeinen, sei es um Schutz vor bestimmten Gefahren, auftritt, ist das Piacularopfer in erster Linie die Einlösung einer verfallenen Strafbusse für eine Unterlassung oder einen Verstoss gegen die Sätze des 'ius sacrum', die sakralrechtliche Parallele zu der 'multa' des weltlichen Strafrechts.*" Multam hanc sacram oriri ex

---

1) Notandum est hoc loco *piaculo* significationem subesse *sacri commissi seu committendi.*

2) Cf. Pauly-Wiss. *R. E.*, IV, p. 2440 sq..

3) Wissowa, *R. K.*², p. 392.

obligatione probat ibidem n. 6: „*Ein Vergleich der Gebetsformel beim Piaculum (Cato de agric. 139) und bei der 'lustratio agri' (ebd. 141) zeigt den charakteristischen Unterschied, dass nur bei der ersteren Handlung die Wendung vorkommt 'uti tibi i u s e s t porco piaculo facere'*". Recte iudicasse Wissowam non credo. Ut autem melius intelligamus quid sibi velint verba *uti tibi ius est*, in ipsius carminis contextu considerentur necesse est: *si deus, si dea es, quoium illud sacrum est, uti tibi ius est porco piaculo facere, illiusce sacri coercendi ergo .... uti id recte factum siet, eius rei ergo te hoc porco piaculo inmolando bonas preces precor, uti sies volens propitius cet.* Piaculum igitur fiebat: *sive deo sive deae.* Cum autem constet in perficiendis sacris nil gravius esse quam ignorationem rerum et personarum — di enim alienis ritibus invocati aures habent obstructos piaculisque variis homines tenent constrictos [1]) — non dubito, quin verba *uti tibi ius est* non magis p i a c u l u m spectent quam r i t u m ipsum piaculi. Ut aliis verbis idem dicam: ne rituum commixtione sacrificans peccet, in ipsa precum formula asseverat se eo modo ac ritu sacrificare velle, quo modo ipse deus ignotus seu ipsa dea ignota sibi sacrificari cupiant [2]). Recte Warde Fowler [3]): „*Cato R. R. 139, where the language suggests that as the deity was unknown, the 'ius' of the religious act was also uncertain, i. e. the ritual was not laid down. De Marchi translates (La Religione nella vita domestica, p. 132) 'sia a te fatto il debito sacrificio', etc., which sufficiently expresses the anxiety of the situation.*" Qua cum explicatione optime congruit in sacrificiorum piacularium formulis, quas refert idem Cato *de agr.* 141, in quibus non agitur de numinibus ignotis sed de ipso Marte, formulam *uti tibi ius est* non

---

1) Cf. Arnob. *adv. nat.* III 43 et VII 21.

2) Nonnumquam in carminibus sacrificantes voce *uti* = *eo modo quo* utuntur, dum orant ut quomodo ipsi sacrificantes preces intelligant, ita et numina eas intelligere velint, cf. Macrob. *Sat.* III 9. 11 et Liv. XXII 10. 2. In actis fr. Arvalium saepe invenies: *uti nos sentimus dicere.*

3) *The Religious Experience*, p. 191 n. 2.

inveniri. Neque plus alterum Wissowae argumentum valet quo contendit, saepe iuxta aestimatam esse multam atque piaculum, cf. ibidem n. 7: „*'Multa' und 'piaculum' nebeneinander bei Macrob. S. I 16, 10 und im Haingesetze von Spoleto (CIL XI 4766): 'sei quis scies violasit dolo malo, Iovei bovid piaclum datod et a(sses) CCC moltai suntod'; in dem Haingesetze von Luceria (CIL IX 782) und ebenso im Tempelgesetze von Furfo (CIL IX 3513) tritt die 'multa' an die Stelle der Sakralbusse.*" Quod enim ad locum Macrobii attinet, minime piaculum atque multa iuxta aestimantur; sed manifestum est tria a Macrobio prorsus distingui: multam, piaculum, inexpiabilitatem. Multatur is qui praeconis praecepti negligens fuit; porco piaculo facere debet qui imprudens ferias polluit; inexpiabilis est qui prudens id fecit dolo malo. Haec enim sunt ipsius Macrobii verba: *regem sacrorum flaminesque non licebat videre feriis opus fieri, et ideo per praeconem denuntiabant, nequid tale ageretur et praecepti neglegens multabatur. praeter multam vero adfirmabatur eum qui talibus diebus inprudens aliquid egisset porco piaculum dare debere; prudentem expiare non posse cet.*. De lege Spoletina multa dicere opus non est. Etenim iam antea de impietate agens (cf. p. 83 sq.) ostendi piaculum Iovi non esse factum ab eo qui sciens dolo malo lucum violasset, sed ab ipsis luci sacerdotibus. Neque Wissowae affirmanti in legibus tam Furfonis quam Luceriae multam successisse vicariam piaculo, assentire possum. Nam ipsis verbis tum legis Luceriae *sei quis arvorsu hac faxit, [in] ium quis volet pro ioudicatod n. L manum iniect[i]o estod. seive mag[i]steratus volet moltare, [li]cetod*, tum legis Furfonis *sei qui heic sacrum surupuerit, aedilis multatio esto, quanti volet; idque veicus Furf. m(aior) pars fifeltares sei apsolvere volent sive condemnare, liceto,* plane indicatur agi de sceleribus, quae quis prudens dolo malo perfecerit [1]). Id quoque in Oldenbergii ac Wissowae sententia non facile explicatur, cur in operis faciendi piaculorum solemni carmine nullo

1) Quod ad legem Furfensem cf. Bruns[6], p. 261; quod ad Luceriae legem, cf. p. 260.

modo mentio fiat poenae cuiuslibet solvendae, sed precibus id tantum intendatur, ne sacrum iustas ob causas faciendum dis displiceat, ut clare elucet ex verbis, quae traduntur a Catone *de agric.* 139 *sive ego sive quis iussu meo fecerit, uti id recte factum siet, eius rei ergo te hoc porco piaculo inmolando bonas preces precor.* Qui vero fieri potest, ut homo lege divina multetur puniaturve ob id quod ipsi di sunt approbaturi? Quod si Wissowa piacula operis faciendi magis attendisset, profecto multae piaculique similitudinem non tam late extendisset [1]).

Quare graves ob causas mihi videtur negandum, sacro absque dolo malo commisso vel committendo factum esse, ut Romani ad sacrificium piaculare faciendum se obligarent, vel quod eodem redit, piaculum proprio sensu multam sacram fuisse seu poenam. Non ideo tamen nego Romanis veram obligationem fuisse ut piaculo facerent, sed id solum contendo, obligationem eam non emanasse — sicut in contractu, voto, vero delicto accidit — ex ipsius sacri commissi sive committendi natura, verum e iuris sacri scripta lege. Quod discrimen in hac nostra inquisitione haud parvi est aestimandum. Nam si multae seu poenae obligatio in ipsa sacri commissi notione contineretur, sacrificium piaculare necessario esset sacrificium peccati vel purgatorium; et ea, quae horum sacrificiorum propria sunt, procul dubio in ipso piaculi ritu clare apparerent. Si contra obligatio ad piaculi essentiam non pertinet, sed tantum a scripta iuris lege dependet, ex tali obligatione piaculorum natura nullo modo illustratur. Nam lex scripta piaculorum loco etiam lustrationes preces supplicationes alia multa praescribere potuisset.

Non ignoro in iure civili Romanorum nonnumquam obligationem oriri *quasi ex delicto;* etenim cum in locum, quo vulgo iter fiebat vel in quo consistebatur, deiectum vel effusum quid erat qua ex re damnum erat factum, is qui ibi habitabat, unde res erat deiecta vel effusa, quamquam ab

---

1) De piaculo operis faciendi quasi praeteriens agit Wissowa, *R. K.*², p. 411: *„wenn ein 'piaculum' begangen worden ist oder ein unvermeidliches 'piaculum' im voraus unschädlich gemacht werden soll."*

omni culpa prorsus aberat, ad poenam dupli obligabatur [1]). Quare si quis existimat, antiquos iuris divini peritos obligationem quam cum sacrificiis piacularibus videmus coniunctam ei obligationi parem habuisse, quae *quasi ex delicto* nascatur atque hoc sensu improprio piaculum quasi multam fuisse ac poenam, id fortasse non negaverim, omissis tamen piaculo operis faciendi ac praecidanea. Talem vero obligationem non ex ipso quasi delicto esse ortam, sed multo magis ex scripto iuris praecepto, nemo est qui non videt.

Quaeret quispiam, quo modo factum sit, ut lex iuris sacri scripta homines piaculo obligaret, quamqam obligatio ex ipso sacro commisso non oriebatur? Res ni fallor in promptu est. Etenim iam ab antiquissimis temporibus Romanis firmiter erat persuasum patrium cultum ac rei publicae integritatem intime inter sese esse connexa. Quae cultus integritas ut quam purissime servaretur, nil piaculorum obligatione erat efficacius. Sat facile autem obligatio illa iure sacro imponi potuit. Nam piacula, ut de re universa loquar, non a iure sacro sunt instituta, sed iuri sacro longe antecessere. Quod vero olim homines rudes, metu et superstitione coacti, omittere non audebant, sacro iure facile sanciebatur. Quare quod olim solum erat *anxia religio*, iure sacro exorto atque vigente *obligatio* quoque facta est. Quae omnia iam ex iis quae sequuntur, facilius intelligentur.

2. DE PIACULORUM ORIGINE.

Prius quaedam, quae nonnulli viri docti de piaculis dixerunt scitu digniora, breviter attingam, quo facto quid ipse de eorum sentiam origine, fusius sum disputaturus.

Quid v. Lasaulx [2]) de Graecorum Romanorumque sacrificiis piacularibus scripserit, tradere et examinare non iuvat,

---

1) Cf. Pauly-Wiss., *R. E.*, IV 2382 *i. v.* deicere; V 1979 *i. v.* effundere. Notandum est iuris peritos Romanos damnum quoque sarciendum pro poena habuisse.

2) v. Lasaulx, *die Sühnopfer d. Griechen u. Römer.* Minoris momenti est referre, quid habeant Saubertus, *de sacrificiis veterum*; Nieupoort, *de ritibus Romanorum*; Lomeier, *de lustratione.*

cum neque Graecorum religionem a Romanorum religione satis disiunxerit, neque apud ipsos Romanos varios ritus recte distinguens, multa inter se diversissima una piaculi voce sit complexus.

Nec de Marquardtii sententia [1]), hostias piaculares easdem esse contendentis atque *animales hostias in quibus sola anima deo sacratur* (Macrob. *Sat.* III 5. 1) plura dicam, cum omnes fere huius aetatis viri docti [2]) inter sese consentiant distinctionem inter hostias animales atque consultatorias non ad Romanorum sed ad Etruscorum pertinuisse disciplinam; atque ipse Wissowa, cuius auspiciis Marquardtii liber iterum prodiit, in libro suo *Religion und Kultus der Römer*², quod senserat antea, iam omnino repudiaverit [3]).

Paucis verbis Latte [4]) sacrificia piacularia sic explicat: „*(Die Piacularopfer) dienen der Lösung eines Tabu, das wegen einer Befleckung, einer Unterlassung oder eines Verstosses gegen Sätze des 'ius sacrum' auf jemand liegt.*" Ut ad tempus quaestionem eam omittam, num sacro absque dolo malo commisso revera Romanus pollutum se senserit, neve illud attingam, num notio sacri ab imprudente commissi omni ex parte conveniat cum notione sat fluctuante interdicti illius, quod hodie generatim voce *tabu* indicari solet, — pernotum est, ni fallor, multifarios esse modos atque caeremonias, quibus quis ab illo interdicto possit liberari: sacrificia puta purgatoria, vicaria, magica, placatoria, prout sacrificantes *tabu* illud quasi abstergere, transferre in hostiam, vi occulta frangere, denique deprecari conantur. Quin etiam hac in re ritus adhibentur a sacrificio prorsus alieni [5]). Quae cum ita sint, verba illa Lattii: „*die Piacular-*

---

1) Marquardt-Wiss., *R. St. V.*, III p. 185 sq..

2) Cf. Thulin, *Etrusk. Disciplin,* II p. 11 sq.; Warde Fowler, *The Religious Experience,* p. 191 et 199, n. 63; Latte in Pauly-Wiss., *R. E.*, IX 1130. Haud recte Krause, *de Rom. host. quaest. select.*, p. 4 et Rist, *die Opfer des röm. Heeres*, p. 22.

3) Wissowa, *R. K.*², p. 418 n. 2; p. 419 n. 1, et 8.

4) Cf. Pauly-Wiss., *R. E.*, IX 1118 *i. v.* immolatio.

5) Prae ceteris scitu dignissima ea sunt, quae vir religionum peritissimus, qui per viginti quinque annos inter varios nigritarum tribus

opfer dienen der Lösung eines Tabu" ad Romanorum sacrificii piacularis rationem atque naturam recte finiendam sufficere non possunt. Altius igitur piaculorum origo investiganda est atque scrutanda.

Quantum in Romanorum cultu valuerit m e t u s atque t i m o r deorum, omnibus Romanae religionis studiosis satis notum est. Quam vehemens fuerit ille metus, mira quadam claritate illustratur placitis Lucretii, qui in variis carminis sui partibus, versibus quos nescio utrum pulchriores an a vero magis alienos dixeris, idem id persequitur, quod uno versu Statius postea expressit [1]:

primus in orbe deos fecit timor.

Polybius quoque, rarissime ceteroquin res religiosas attingens, referre tamen non omisit, Romanis tam publice quam privatim maxime propriam fuisse et singularem religionem non eam, quam *εὐσέβειαν* Graeci vocant, sed quae apud Graecos semper male audit *δεισιδαιμονία*, cf. VI 56. 7: *καί μοι δοκεῖ τὸ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὀνειδιζόμενον, τοῦτο συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα, λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν. ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐκτετραγῴδηται καὶ προσεισῆκται τοῦτο τὸ μέρος παρ' αὐτοῖς εἴς τε τοὺς κατ' ἰδίαν βίους καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως ὥστε μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολήν.* Nemo vero distinctius antiquissimum Romanorum cultum signavit quam Propertius V 1. 17:

nulli cura fuit externos quaerere divos,
cum tremeret patrio pendula turba sacro.

Metus autem ille religione plenus erat et reverentia. Nam numina prisci Romani nullo modo sibi fingebant natura sua

---

versabatur, R. D. le Roy, de interdictis narrat Bantuorum, qui Kikuyuam incolunt Africae Orientalis regionem: „*These penalties (taboo's) can only be averted by various expiatory practices, which at Kikuyu, for instance, imply sacrifice, confession, penance, and absolution,*" cf. le Roy, *The Religions of Primitive Races, Lectures on the History of Religions*, V, p. 14 et *La Religion des Primitifs*, p. 247.

1) Cf. Lucret. I 63 sq.; V 73 et 1163—1240; VI 50; Stat. *Theb.* III 661; Lactant. ad Stat. *l. l.*; Petron. fr. XXVII 1 B; Cic. *de div.* II 148 sq..

hominibus inimica; contra rite cum colerentur, deos salutem sibi daturos putabant vitamque prosperam. Minutissimas vero ob causas deorum benevolentiam amitti posse credebant: ideoque semper et ubique Romanos expostulare videmus *benevolentiam pacem veniam* deorum utque *volentes* sint atque *propitii* [1]).

Ex ipso illo metu et timore originem duxisse mihi videntur piacula, seu ut aliis verbis utar, piacula dicenda sunt sacrificia simpliciter *placatoria*. Quod non solum ipsius vocis piaculi significatio indicat. Nam praeter notionem placaminis nulla alia ratio communis assignari potest variis illis piaculorum generibus, de quibus egi in capite praecedente; et quod spernendum non est, complura veterum testimonia ostendunt, ipsos quoque Romanos piacula generatim habuisse divinae irae placamina. Nec minus ipse ritus oblationumque materia vim placatoriam sacrificii demonstrat. Quae omnia nunc suo quidque loco fusius explicabo.

Quae sit vis atque significatio vocis *piaculi*, in primo capite huius disputationis exposui. *Placamen* est. Iam statim igitur aliam quaestionem aggrediamur, quidque sibi velint singula piaculorum genera perscrutemur.

P i a c u l u m c o m m i s s i prae ceteris esse p l a c a m e n i r a e clare elucet ex verbis Q. Fabii Maximi apud Livium XXII 9. 7. Nam dictator cum patres edocuisset Flaminium consulem praecipue negligentia caeremoniarum auspiciorumque peccasse, statim addidit numina ipsa consulenda esse, quae *piacula irae deum* essent. Servius quoque ad Vergil. *Aen.* II 279 *piaculum solvere* recte definit hisce verbis: *offensa deorum liberari*, quibuscum egregie congruit

---

1) *Benevolentia:* Serv. ad Vergil. *Aen.* I 519, IV 50 et 56, X 31.

Pax et venia: Cic. *pro Rab.* 5; *pro Font.* 30; Liv. I 31. 7, XXXIX 10. 5; Ovid. *Ars Am.* I 2. 21.

Pax: Vergil. *Aen.* III 261, IV 56, X 31 cum notis Servii; Liv. I 16. 3, III 5. 14; VII 2. 2.

Venia: Vergil. *Aen.* I 519 et IV 50 cum notis Servii.

Volens propitius: Cat. *de agr.* 134, 139, 141; Serv. ad Vergil. *Aen.* I 737; Liv. I 16. 3, cetera.

eiusdem annotatio ad *Aen.* III 264 *expiatorios* (*honores*), *u n d e: dii prohibete minas.* Quid verba valeant veterum iuris sacri consultorum: *qui prudens dolo malo fecerit ut impium expiare non posse* [1]) clare apparet ex verbis Tullianis *de leg.* II 22 *impius ne audeto p l a c a r e i r a m deorum.* Qua placatione homo praecipue metu liberabatur et timore, teste eodem Cicerone *de leg.* II 37 *publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam m e t u liberet.* De Parilium sacrificio piaculari ad scopum nostrum notanda sunt verba Calpurnii *Ecl.* V 24 *non ante greges in pascua mitte . . . quam fuerit placata Pales* et Ovidii *Fast.* IV 777 *his dea placanda est.* Immo venia Palis ope aliorum quoque numinum agrestium erat reconcilianda, ut auctor est idem Ovidius *l.l.* 759:

tu dea pro nobis fontes fontanaque placa
numina, tu sparsos per nemus omne deos.

S u c c i d a n e a quoque et i n s t a u r a t i o haud obscure ostendunt p l a c a m i n i s r a t i o n e m. Ut enim ostendi antea, sacri ritus atque solemnia vel minimo sacro commisso, dis *grata* non erant (cf. Varr. apud Serv. ad Vergil. *Aen.* IV 219), nec huiuscemodi caeremoniis dis *satisfieri* poterat (Cat. *de agr.* 141. 4). Quando autem dis satisfactum non erat, e mente Romanorum violabantur et ne ira exardesceret divina placandi erant, cf. Cic. *de har. resp.* 21 *audio, quibus dis violatis expiatio debeatur,* et 23 *ludi non sunt rite facti, eaque errata expiantur et mentes deorum immortalium ludorum instauratione placantur,* et Liv. II 36. 2 *nisi instaurarentur . . . ii ludi, periculum urbi fore.*

Constat igitur, ni fallor, de succidaneae instaurationisque vi placatoria; tamen superest explicandum, cur sacro in precibus sacrificiis solemnibus commisso, non hostia certa et determinata di fuerint placandi sed ipsa precum sacrificiorum solemnium iteratione.

Hac de re duplex est sententia: quarum alteram *iuridicam* dixerim, *dynamicam* alteram. Qui iuridica ratione sa-

1) Cf. Macrob. *Sat.* I 16. 10 et Varr. *de l. l.* VI 30.

crorum iterationem explicant, cultus caeremoniasque omnes legis actionibus similes putant [1]), quae si vel minimum aberrant a praescriptis formulis, irritae sunt et inanes. Qui vero sententiae favent dynamicae, rem ita explicant. Cum antiquis in omnibus precibus vel hostiis vis quaedam magica inesse videretur, quae a sacrificante vel orante exiret, ut per sacrificium vel preces deos attingeret; versa vice vis quaedam magica a dis exiens per hostias inire videretur in homines, — sacro vel minimo commisso vis illa magica frangi existimabatur, qua fracta sacrificium iam nihil efficere posset.

Quod ad priorem sententiam attinet, iuridicam dico, egregie hac doctrina ea explicantur quae revera negotii et legis actionis speciem habent, iterationem voti puta dedicationisque. Nec dubito, quin ipsi Romani, scientia iuris divini crescente atque vigente, succidaneas instaurationesque hac ratione explicaverint. Nam ius divinum iuris sacri periti generatim ius civile iuxta existimabant. Cum autem teste Cicerone *de republ.* II 27, item Livio III 57. 7 et Propertio V 1. 17, iam inde ab antiquissimis illis temporibus sacrorum diligentiam Romanis difficillimam fuisse constet, et succidaneae quoque teste Catone *de agr.* 141 iam in vetustissimis reperiantur agricolarum ritibus, iterationes sacrae, de quibus agimus, iuridicae sacrorum interpretationi longe antecessisse censendae sunt. Quare sententia iuridica succidaneae instaurationisque originem explicare non potest.

Quam difficile vero sit inter sese coniungere sententiam dynamicam ipsiusque Romanorum sacrificii rationem, dilucide illustrant verba viri doctissimi Warde Fowler [2]), qui dynamicae sententiae magnopere se favere haud obscure confitetur: „*If we accept the latest theory of sacrifice, i. e. the dynamic theory, as it is called, we explain this intense nervousness about a ritualistic flaw as occasioned by the consciousness of a breach in the current of the 'religious force' (the expression is that of Messrs. Hubert and Mauss* [3]))

---

1) Wissowa, *R. K.*², p. 394 sq..
2) Warde Fowler, *The Religious Experience*, p. 190.
3) Hubert et Mauss, *Mélanges d'histoire des religions*, p. 74.

which must pass in regular sequence from the sacrificer through the victim to the deity, or vice versa. If this is the true explanation — and at present it may be said to hold the field — then the extreme exactness of the Roman ritual was a survival from an age when this strange feeling was a reality; but no more than a survival, for, so far as I can discover, the Roman idea was rather that the deity to whom the ritual was addressed was in some way offended by the omission. The dynamic notion is lost, if it ever were there, and its place has been taken by one that we may perhaps call theological. But however that may be, the culprit was regarded as in a state of sin or impurity, 'un être sacré', and had to get rid of this sin or impurety by another sacrifice before the whole ritual could be started afresh ('instaurare') [1]. *According to the 'dynamic' theory of sacrifice, we might naturally expect that the victim, as being destined to carry away the unholiness (or whatever we choose to call it) of the culprit, would be burnt whole, not offered to the deity in the form of exta, or eaten by the sacrificers. But this does not seem to have been the case."* Ex verbis allatis satis apparet, quid quod ad succidaneas et instaurationes de dynamica doctrina sit censendum. Nam praeterquam, quod res tota nimis complicata atque intricata est, ut revera „primitiva" habeatur [2], atque certo certius non valet in omnibus sacrificiis [3], — omnium ultimo loco ea sententia mihi videtur

1) Minus recte; nam ipsa instauratio pro piaculo est. Vide quae dixi p. 64.

2) Cf. Le Roy, *la Religion des Primitifs*, p. 322: *„Cette théorie paraît trop complexe et est trop travaillée pour être primitive: c'est une théorie de sociologue européen."* In memoriam revoco, le Roy per longum vitae spatium inter nigritas vixisse satis primitivos.

3) Multum discrepant inter se periti de sacrificiorum apud primitivos origine. Cf. Lang, *the making of religion*², p. 257 sq.; Robertson Smith, *the religion of the Semites*, p. 213 sq.; Frazer, *the golden bough*, II, p. 397, sed et p. 459 sq.; Thomson, *der Trug des Prometheus* in *Arch. f. Religionswiss.*, XII, p. 472. Magnopere mihi probantur Le Roy, *l. l.*, p. 321 sq.; Lagrange, *études sur les religions sémitiques*, p. 244 sq.; Schmidt, *der Ursprung der Gottesidee*, p. 160 sq. Minime autem mihi certum videtur, multifarios illos primitivarum aliarumque gentium

admittenda, quae concedentibus eius fautoribus, nullo modo ipsa Romanorum religione, quam quidem novimus nos, fulciri videtur. Alia igitur iterationum explicatio, quae nititur indigenae Romanorum δεισιδαιμονίᾳ, quaerenda videtur.

Ut notum est, repetuntur a Romanis, vel minimo vitio admisso, preces sacrificia solemnia. Instaurationes autem illas a precibus cepisse initium, deinde in hostiis et solemnibus quoque maioribus esse usurpatas, recta ratio videtur expostulare. Praecipue igitur in precum renovatione huius quaestionis solutio erit quaerenda. Cui inquisitioni mira quaedam sed vera praemittere liceat. Nam cum eorum omnium, quae sive in rerum natura sive in moribus et opinionibus humanis fieri videmus, certas et rectae rationi consentaneas causas et rationes quaerere soleamus, haud raro tamen accidit praesertim in superstitionibus et in erroribus religiosis explicandis, ut ea quae sanae rationi quam maxime contraria putentur, tamen vera esse reperiantur. Quod ut melius intelligatur, oculos quaeso circumferas. Etenim in horum quoque hominum societate multi mores sunt consuetudinesque, *tabu* per me licet voces, quae multi stulta esse et inania bene perspiciunt, tamen inbecillo quodam metu ducti omittere non audent. Numerum 13, hebdomadis diem sextam, alia sescenta, huius aetatis lectori revocare in mentem opus non erit. Qua vero mente ab iis, qui hac superstitione laborant, multa sive committantur sive omittantur, optime mihi indicari videtur verbis cuiusdam magistratus diu in Indiis Orientalibus versati, qui de se ipso fausta cum dixisset, ima mensae parte digitis leviter pulsa [1]), solebat dicere: rideo rem, neglegere non audeo.

Quae mentis aegritudo non aliter ac flos quidam parasiticus in sanis quoque rerum divinarum ritibus haud raro luxuriatur atque grassatur. Cuius rei exemplum notissimum ii praebent, qui animi angoribus permoti precationum voces iterum atque iterum repetunt, cum errasse, menda fecisse, verba omisisse,

---

ritus, quos nunc generatim sub *sacrificii* nomine complectimur, omnes ex una radice originem duxisse.

1) Id quod sermone vernaculo *aftikken* vocamus.

aliena cogitasse sese existiment, quamvis bene intelligant se nec prudenter nec per culpabilem negligentiam peccavisse, ideoque huiuscemodi iterationes fatuas esse et ineptas atque etiam paci animi periculosissimas. Quae animi aegra conditio eo erit vehementior, quo acrius ipsa mens discordat secum et distringitur, cum ex altera parte considerat, quam metus ille homini sanae rationis sit indignus, ex altera parte variis captionibus perstricta fallaciisque conturbata, cogitur quodammodo malum habere divinaque ira dignum, quod nullo modo malum habendum sit. Qua in pugna recta si profligatur ratio, corporis nonnumquam tabes sequitur mentisque alienatio. Plerumque tamen, sanum iudicium non vincit quidem, verum alio modo a cruciatu liberari conatur. Nam, ut disputationem ad eos coarctem, qui prae metu preces suas semper iterare solent, — illi aut orationes toties repetunt, donec prorsus sibi conscii sunt, se ne vocula quidem aberrasse, aut eas magis magisque ad formulas certas reducunt, quo facilius animadvertatur quaevis aberratio; et hoc modo pacem animi recuperare conantur.

Quare si recte antea iudicavimus, cultui Romanorum ac ritibus magna ex parte metum esse subiectum, eundem saepe inanissimum, ita ut eo magis quis adducatur, ut credat ipsa *religionis* voce animum significari sollicitum atque anxium, quo quis iterum atque iterum in suas redeat dubitationes (*re-legere*) [1]: — ex eadem quoque insana anxietate iure explicanda videtur precum sacrificiorum solemnium instauratio, antiquissimis praecipue temporibus levissima ob vitia vel tricies repetita, cum pendula turba tremens patriis sacris assisteret [2]. Illas piaculares instaurationes prae ceteris significat Cicero *de republ.* II 27, cum priscum Romanorum cultum ac ritus adumbrat hisce verbis: *sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, adparatum perfacilem esse voluit* (*Pompilius*). Quae verba si contuleris cum iis quae modo

1) De vocis *religionis* origine tam veteres quam hodierni scriptores inter se dissentiunt. Quaestionem nuper tractaverunt viri docti Otto, Warde Fowler, Kobbe. Cf. Otto, *Religio und Superstitio* in *Arch. f. Religionswiss.*, XII 533 et XIV 406.

2) Cf. supra p. 112, praesertim Plutarch. *Cor.* 25 et Propert. V 1. 17.

de precum dixi iterationibus, duae res, ni fallor, statim apparebunt. Una est, a iure sacro antiquissimo Romanorum inanem illam religionem, qua homines preces atque sacra iterum atque saepius renovarent, omnino non esse repudiatam, contra solemnibus succidaneae et instaurationis nominibus esse approbatam, quin etiam ut ita dicam sancitam. Altera vero, cum in eodem iure divino antiquissimo diligentia quam difficillima commendaretur in ritu facillimo, effectum esse, ut inanes illae religiones hominibus non nimis noxiae fierent et perniciosae. Quare ex altera quidem parte dicendum est ius sacrum, ut insanus ille metus et timor exstirparetur efficere non potuisse, aut potius, quo magis hominum mentes religione obstrictas haberet, id noluisse; ex altera tamen parte adhibita esse remedia psychologice recta, quibus ultimae refrenarentur insaniae. De succidaneae origine haec sufficiant.

Nec minus piacula operis faciendi ex eodem offensionis divinae metu ac tremore nata sunt. Cum enim aut necessitate coactus aut iustissima causa permotus Romanus aliquid perficere debet, quod numini alicui ingratum esse existimat, eadem premitur anxietate ac si res agitur cum numine inimico ac malevolo. Non aliter atque maria tentaturus, priusquam navem ascendat, hostiis placat Tempestates iniquas [1]), item rem quoque aggressurus, qua numen benevolum forte laedatur, hostia facere placatoria praetermittere non audet, cf. Serv. ad *Aen.* IV 58 *nam facturi aliquid, ante adversos placamus deos, ut: 'nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam'. ergo modo nuptura placat ante Cererem, quae propter raptum filiae nuptias exsecratur.* Quare Lactantius, quid Romani de piaculo sentirent operis faciendi, accurate iudicasse mihi videtur, cum haec de sacrificio quodam Argolico [2]) ad Statii *Theb.* II 255 annotat: *in templo Minervae solebant virgines nupturae placare deam, quae sit fautrix virginitatis, et excusare, quod necessitate et lege naturali nubere cogebantur.* Quibus prae-

1) Cf. Vergil. *Aen.* III 120 et V 772 cum notis Servii.
2) Cf. Gruppe, *Griech. Mythol.*, II, p. 914, n. 5.

dictis clarum est, cur in immolando piaculo operis faciendi sacrificans id solum exoret, ne sacrum committendum dis offensioni sit: *uti id recte factum siet;* quam precationem sequuntur verba prorsus placatoria: *uti sies volens propitius mihi domo familiaeque meae liberisque meis: harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo inmolando esto*, teste Catone *de agr.* 139. Piaculi operis faciendi vim naturamque bene verba quoque indicant Macrobii *Sat.* I 16. 8 *flaminica, quotiens tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset deos.*

Eadem mutatis mutandis dicenda sunt de piaculo operis perfecti, quo operis faciendi piaculum ut ita dicam perficitur.

De praecidaneis hostiis multa dicere opus non erit. Uti enim in capite secundo huius disputationis fuse explicavi, praecidanea faciendum erat, ne di ob sacra per imprudentiam facta nec animadversa, prodigiis atque calamitatibus iram ostenderent, cf. p. 75 et 76.

Sacrificia piacularia omnia, ut iterum de re universa dicam, sacra fuisse placatoria, i. e. placamina deorum irae, popularis quoque erat et publice accepta persuasio. Testis sit Arnobius *adv. nat.* VII 5—10, ubi nota sua acerbitate et vehementia Romanorum piacula deridet atque ludificatur. Quibus Arnobii verbis eo maior vis inest atque auctoritas, quod eius aetatis auctores sacra ab imprudente et a prudente commissa distinguere iam desiere. Arnobium capitibus 5—10 revera agere de piaculis, licet ipsa vox sileatur, clare elucet ex verbis capitis 9, ubi ipsam victimam causas suae mactationis enumerantem facit, omnes, ni fallor, piacula sacri commissi. Commemorantur enim ludorum vitia atque pollutio, iusiurandum falsum, sacrilegae spoliationes, religiosorum locorum profanatio.

Videamus igitur, quid de hisce sacrificiis piacularibus teste Arnobio publice fuerit receptum.

In capite 5 hoc modo loquitur: *sequitur, ut illam quoque inspiciamus partem, quam iactari audimus vulgo et populari in persuasione versari: sacrificia superis ea fieri diis causa, ut iras atque animos ponant reddanturque mites et placidi,*

fervidorum pectorum indignatione sedata. In capite 6 haec habet: *sed concedamus, ut vultis, perturbationem huiusmodi familiarem diis esse placandaeque eius causa res divinas fieri et sacrorum sollemnia celebrari.* Quibus dictis, piaculorum tam operis faciendi quam sacri commissi haud immemor, hanc disiunctionem facit: *quando ergo conveniat adhiberi haec munia vel in tempore quo dari? antequam sunt irati et perciti an cum fuerint moti ipsisque in indignationibus constituti? si ne sumant animos, occurrendum est his ante, feras nobis proponitis ... sin autem iam fervidis atque indignatione flagrantibus satisfactio ista sacrificiorum oggeritur, non inquiro cet.* Ex capite 7 haec excerpo: *sed neque illud dici aut audire deposco, quas irarum in homines habeant dii causas, ut sacrificiis debeant contracta offensione mulceri.* Ex capite 8: *dii immortales placamenta ista sumunt, quibus iras atque animos ponant et in gratiam suis cum offensoribus redeant?* Denique ex capite 9: *ergo ob hanc causam, id est numina ut placentur irata, inaniter fieri sacrificia constitit.* Quibus Arnobii verbis aliquid addere opus non est. Dilucide demonstrant, quaenam publica et popularis piaculorum opinio fuerit.

Sed et ex ipsis piaculorum r i t i b u s m u n e r i b u s q u e vis placatoria sacrificii apparet. Etenim in immolanda hostia neque manus hostiae imponebantur, nec aliud quodvis agebatur, quo delicta ab homine in victimam transferri viderentur; contra immolationis carmen mere propitiatorium erat: *uti id recte factum siet ... ut sies volens propitius ... harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo inmolando esto,* cf. Cat. *de agr.* 139. Sanguis autem non purgandi vel lustrandi causa adhibebatur, sed ex hostiae sanguine parabantur sanguiculi [1]), qui cum primitiis singulorum extorum atque membrorum omnium farre aspersa in canistris [2]) dis

1) Cf. etiam Arnob. *adv. nat.* VII 24 *amen sanguinum* (ἄμης = πλακοῦς). Non dubito, quin *sangunculus* quoque, quem teste Dessau 9522 v. 12 gustabant Arvales, in extis reddendis dis oblati sint.

2) Cf. Dionys. VII 72 et Lactant. ad Stat. *Theb.* V 641. Vide Marquardt-Wiss. *R. St. V.* III, p. 183 sq., qui plura habet de extis.

offerebantur. Nam in porriciendis extis piacula nullo modo distinguebantur a sacris honorariis, ut plane probant acta fratrum Arvalium, tum ubi de piaculis luci coinquendi, tum ubi de ferri inferendi et elati sacris agitur, cf. Henzen, *Act. fr. Arv.*, p. 21 ex actis anni 218 et p. 135 ex actis annorum 221 et 225, necnon Dessau 9522 v. 3 ex actis anni 240. Quodsi piaculum vim nativam sacrificii pro delicto peccatove oblati vel *καθάρματος* habuisset, ipsi sacrificantes a carnibus procul dubio abstinuissent, cum carnibus edendis peccata luenda in se iterum suscepissent [1]). At non abstinebant. Testantur enim acta Arvalium, carnem porciliae piacularis ipsos fratres epulari, cum iis lucus est coinquendus, cf. Henzen, *l. l.*, p. 21 ex actis annorum 183, 213, 218 *porcilias piaculares epulati sunt et sanguem*, et Dessau 9522 v. 12 ex actis anni 240. Concedendum tamen est piaculum homicidii ab imprudente facti nativam vim habuisse sacri vicarii. Sed illud sacrificium principio mere Romanum non erat. Postea vero vis huius sacrificii sensim mutata est. Nam olim Atheniensium more loco homicidae mactabatur. Paulatim vero tactu piaculorum vere Romanorum, abolita notione vicaria, placamen irae Telluris vel Semoniae vel alterius deae agrestis facta est, cf. p. 39 sq.. Quod ad Vestalium defossionem verberationemque attinet, poenae pro piaculo erant ideoque diversi omnino generis. Sed Graecae, uti iam supra dixi p. 89, erant originis [2]).

At canum sacrificia, quae teste Columella II 22. 4 ab agricolis fiebant ob opus peragendum feriis prohibitum, nonne vim purgatoriam indicant piaculi? Non ignoro apud

---

1) Cf. Warde Fowler, *The Religious Experience*, p. 191. Notatu dignissima ea quoque sunt, quae S. Thomas, *S. Th.* 1. 2, qu. 102, a. 3 ad .8, habet de Iudaeorum sacrificiis pro peccato oblatis: „*Non enim debebant in usum sacerdotum venire ea, quae pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret, et quia hoc non esset satisfactio pro peccato. Si enim cederet in usum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerretur.*"

2) Cum auspicium falsum renuntiatur, auspicium a magistratu accipitur, augur autem punitur, cf. Liv. X 40. 9 sq. *in semetipsum augur religionem recipit.* Auguris quoque poena reipublicae forte pro piaculo erat.

Graecos et Macedones canis sacrificium saepe vim habuisse lustralem [1]), sed illis lustrationibus uti ad Romana interpretanda piacula praeproperum videtur. Nam ut de Romanorum hostiis caninis loquar, quaenam vis fuerit sacrificii Lupercalibus facti lis inter doctos est; et origo sacrificii, quod Robigini immolabatur, ipsi Romani licet placatorium habuerint [2]), omnino incerta est. Cum autem constet antiquos Romanos catulorum lactentium carnem tam puram habuisse, ut non solum eam ipsi ederent, sed etiam dis in deorum epulis offerrent, non est cur negemus piacula canina agricolarum vere fuisse sacrificia placatoria. Cf. Paul. M 45 L 39 *catulinam carnem esitavisse, hoc est comedisse, Romanos, Plautus in Saturione refert* et Plin. *N. H.* XXIX 58 *catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur iis. Genitae Manae catulo res divina fit, et in cenis deum etiam nunc ponitur catulina. aditialibus quidem epulis celebrem fuisse Plauti fabulae indicio sunt.*

Quod ad sacrificia incruenta attinet, saepissime iis Romani utebantur, cum facerent piaculo. Commemorantur:

a. Strues et ferta, liborum genera. Ommovebantur ab Arvalibus, cum fierent piacula ferri inferendi et elati eaque, quae Henzenus minora vocat; ab agricolis vero cum fieret praecidanea, cf. Henzen, *Act. fr. Arv.*, p. 135, 139, 140; Cato *de agric.* 134.

b. Lac et liba. Dabantur Pali in Parilibus, cf. Ovid. *Fast.* IV 746 et 776; Tibull. I 1. 36; Calpurn. *Ecl.* V. 27 Baehr. *P. L. M.* III p. 90.

c. Mel et frugum genera, quibus Terra piabatur, cf. Plin. *N. H.* XXV. 30 et 107.

---

1) Cf. Plut. *Q. R.* 68 de periscylacismo, et 111 de lustratione exercitus Boeotorum; Liv. XL 6. 1 et Curt. X 9. (28) 12 de lustratione exercitus Macedonum. Vide Rohde, *Psyche*, II, p. 407; Gruppe, *Griech. Mythol.* II, p. 804; Bücheler, *Umbrica*, p. 129.

2) Cf. Ovid. *Fast.* IV 905 sq.; Columell. X 342; Varr. *de r. r.* I 1, 6; Paul. M 45 L 39 *catularia porta*; Gell. *N. A.* V 12. 14. Sacrificium canis et ovis erat, quorum exta reddebantur.

d. Cibus prolapsus, qui Lari adolebatur in igne, cf. Plin. *N. H.* XXVIII 27.

Horum sacrificiorum vim nativam non fuisse lustralem iam ipsa indicat materia, quae quidem e culina originem ducit [1]); placatoriam eam fuisse varia docent testimonia. In genere Val. Max. II 5. 5 haec habet: *fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis simul et continentiae certissima index . . .; erant adeo continentiae adtenti, ut frequentior apud eos pultis usus quam panis esset, ideoque in sacrificiis mola quae vocatur ex farre et sale constat. exta farre sparguntur . . . primitus enim ex libamentis victus sui deos eo efficacius quo simplicius placabant.* Strues liba ferta omnia plerumque constabant hac mola salsa, qua nullum placamen apud antiquos fuisse efficacius tam Plinius indicat *N. H.* XII 83: *nec minus propitii* (*di*) *erant mola salsa supplicantibus, imo vero, ut palam est, placatiores*, quam Ovidius *Fast.* I 337:

ante deos homini quod conciliare valeret,
far erat et puri lucida mica salis.

Non mirum igitur, manes quoque mortuorum Feralibus mola salsa propitiatos esse, uti testantur Ovidius *Fast.* II 535 et Arnobius *adv. nat.* VII 25, semperque Romanos teste Tibullo III 4. 9 umbras, quae mala somnia mittere solerent, *farre pio* placasse *et saliente sale* [2]). Haud minus lactis oblatio, qua numina colerentur placarenturque, Romanis antiquis erat in consuetudine, cf. Plin. *N. H.* XIV 88 *Romulum lacte, non vino libasse indicio sunt sacra ab eo instituta, quae hodie custodiunt morem* [3]). Placatoriam fuisse

1) Cf. Bouché-Leclercq in Daremberg-Saglio III p. 1408 *i. v.* lustratio et Eitrem, *Opferritus u. Voropfer der Gr. u. Röm.*, p. 321.

2) Etiam *torrida farra cum mica*, quibus Romae domus, in qua quis mortuus erat, purgabatur (Ovid. *Fast.* II 24), initio placamina fuisse manibus recte contendit Eitrem, *l. l.*, p. 323. Quin etiam hostiarum *immolationem mole salsa* fuisse sacrificium praecedens placatorium haud iniuria existimat.

3) Lac offerebatur Silvano (cf. infra p. 135), Camenis (cf. Vergil. *Ecl.* VII 21 cum nota Servii), Cuninae (cf. Non. Marcell. M 167 L 246), Iovi Latino (cf. Dionys. IV 49; Fest. M 194 L 212; Cic. *de div.* I 18). De Iove Latino cf. Helbig, *die Italiker in der Poebene*, p. 71.

hanc libationem bene ostendit Horatius *Epist.* II 1. 143 hisce verbis:

Tellurem porco, Silvanum lacte p i a b a n t.

Vis autem propitiatoria sacrificii *cibi prolapsi,* quod Lari fiebat, per se plane apparet. Nec aliter dicendum est de *Terrae piamentis,* quae refert Plinius *N. H.* XXV 30 et 107. Utroque loco verba *Terrae piamentum* nil aliud significare posse nisi *ad terram placandam* nemo non videt.

3. DE LUSTRATIONUM ET PIACULORUM DISCRIMINE.

Explorata piaculorum natura atque recte finita, operae pretium erit inquirere, quid sibi velit lustratio. Duplex est: alteri enim naturaliter vis inest p u r g a t i v a , a v e r r u n c a n s alteri. De utroque lustrationum genere in sequentibus separatim nobis erit dicendum [1]).

a. De lustrationibus purgatoriis.

Purgatoria lustratio generatim purificatio est a maculis externis, quae fit contactu materiae cui vis inest purgandi, quaeque lustratio plerumque purificationem legalem vel moralem internam significat. Materiae autem purgantes praecipue sunt: aqua sulphur ignis. Ut exempla quaedam afferam: aqua lustrabatur ante sacrificia et preces; plerumque viva esse debebat [2]); ii quoque qui a funere redierant, aqua aspergebantur, cf. Paul. M 3 L 3 et Vergil. *Aen.* VI 229 cum annotatione Servii; vivo sulphure lustrabantur oves Parilibus, teste Ovidio *Fast.* IV 739; de re universa agens Plinius *N. H.* XXXV 177 de sulphure haec tradit: *habet et in religionibus locum ad expiandas suffitu domos*; igni purgantur tum oves tum ipse pastor Parilibus, ut auctor est Ovidius *Fast.* IV 727, 781, 786, 805; post funera quoque ignis purgatio praescripta erat, cf. Paul. M 3 L 3 *itaque funus prose-*

1) De vocis significatione non ago. Cf. hac de re Otto, *Rhein. Mus., N. F.*, LXXI (1916), p. 17 sq..

2) Multa testimonia collegit Marquardt-Wiss., *R. St. V.*, III, p. 175.

cuti redeuntes ignem supergradiebantur aqua aspersi; quod purgationis genus vocabant suffitionem. Vide de ignis lustratione Claudianum quoque *de VI cons. Hon.* 324, p. 186 Koch et Propert. IV. 8. 86. Nonnumquam in lustrationibus Romani etiam aliis quibusdam materiis utebantur, quibus vim quandam magicam inesse putabant. Exemplum sit lustratio, quae pro re publica fiebat Parilibus suffimine sanguinis equi victoris et favillae vituli, cf. Ovid. *Fast.* IV 733. Purgatoriam lustratiomen finivit Paulus M 120 L 107 hisce verbis: *lustratio, qua quid solvitur ac liberatur.*

b. De lustrationibus averruncantibus.

Lustrationibus averruncantibus omnibus id unum singulare et proprium est: rei lustrandae circuitio. Quae circuitio cum omnibus communis sit, pro ipsa lustratinis averruncantis essentia habenda est, cf. Serv. ad Vergil. *Ecl.* V 75 *lustrare = circumire*; Macrob. *Sat.* III 5. 7 *lustrare = circumire*; Non. Marcell. M 335 L 528 *lustrare = circumire.* Apuleius *Met.* III 2 agens de lustratione quadam *hostias circumforaneas* commemorat. Quaenam lustrationes in averruncantium genere censendae sint, breviter indicabo.

a. Lustrum quinquennale seu ambilustrum, cum census habetur. Suovetaurilia ter exercitum in campo Martio circumducta Marti immolantur, cf. Varr. *de r. r.* II 1. 10 *circumaguntur verres aries taurus;* Dionys. IV 22. 1 *τὰ δ' ἱερεῖα . . . τρὶς περιαχθῆναι*; Serv. ad Vergil. *Aen.* I 283.

b. Lustratio exercitus suovetaurilibus, cf. Tacit. *Ann.* VI 37. *more Romano suovetaurilia* et Cic. *de div.* I 102. Lustrationem ante pugnam commemorat Cassius Dio XLVII 38, post pugnam idem XLVII 40.

c. Lustratio classis. Huius circuitionis ritum copiose enarrat Appianus *bell. civ.* V 96. 401 *ἐπεὶ δ' ἕτοιμος ἦν ὁ στόλος, ἐκάθαιρεν αὐτὸν ὁ Καῖσαρ ὧδε· οἱ μὲν βωμοὶ ψαύουσι τῆς θαλάσσης, καὶ ἡ πληθὺς αὐτοὺς περιέστηκε κατὰ ναῦν μετὰ σιωπῆς βαθυτάτης· οἱ δὲ ἱερουργοὶ θύουσι μὲν ἑστῶτες ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ καὶ τρὶς ἐπὶ σκαφῶν περιφέρουσιν ἀνὰ τὸν στόλον τὰ καθάρσια, συμπεριπλεόντων αὐτοῖς τῶν στρατηγῶν καὶ ἐπαρωμένων*

ἐς τάδε τὰ καθάρσια, ἀντὶ τοῦ στόλου, τὰ ἀπαίσια τραπῆναι. νείμαντες δὲ αὐτά, μέρος ἐς τὴν θάλασσαν ἀπορρίπτουσι καὶ μέρος ἐς τοὺς βωμοὺς ἐπιθέντες ἅπτουσι, καὶ ὁ λεὼς ἐπευφημεῖ. οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι τὰ ναυτικὰ καθαίρουσιν. Vide Livium quoque XXXVI 42. 2 et XXXVII 14. 4. Numina, quae in classe lustranda invocantur, Appianus *Libyc.* 13 Iovem et Neptunum nominat. Livius autem XXIX 27. 1 precationis solemne carmen tradit, in quo invocantur: *divi divaeque, qui maria terrasque colitis* 1).

d. Amburbium seu amburbale, cf. Serv. ad Vergil. *Ecl.* III 77 *amburbale vel amburbium dicitur sacrificium, quod urbem circuit et ambit victima.* Vide Paulum quoque M 5 L 5 *amburbiales hostiae dicebantur, quae circum terminos urbis Romae ducebantur.* Amburbale describitur a Lucano I 592 sq..

e. Ambarvalia, de quibus vide Servium ad Vergil. *Ecl.* III 77 et V 75 *sacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima* et Macrobium *Sat.* III 5. 7 *ambarvalis hostia est... quae rei divinae causa circum arva ducitur ab his qui pro frugibus faciunt.* De circuitionis via vide Strab. V p. 230. Ambarvalibus segetes lustrabantur mense Maio, teste *C. I. L.* I p. 358. Posteriore aetate victima porca erat fecunda et gravida, quae Cereri mactabatur, ut auctor est Servius ad Vergil. *Georg.* I 339 et 345. Tibullus autem II 1. 15 agnum commemorat. Aetate vero antiquiore suovetaurilibus Marti esse factum recte contendunt Henzen, *Act. fr. Arv.*, p. 48 et Wissowa, *R. K.*², p. 143 n. 5.

f. Lustratio pagi, cf. *Grom. Lat.* I 164. 28 . . . *magistri pagorum, quod pagos lustrare soliti sunt, uti trahamus* (*fines pagorum*) *quatinus lustrarent.*

g. Lustratio agri, quae ab agricolis fieri solebat, cf.

---

1) Haec classis lustratio cum sacrificiis placatoriis, quae ventis offeruntur, confundenda non est, cf. Vergil. *Aen.* III 120, V 772; Cic. *de nat. deor.* III 51. Ventos enim qui placat, stans in prora exta omnia in mare inicit. Etiam in nave appellenda libationes fiunt, teste Vergilio *Aen.* III 525. Nave vero appulsa sacrificatur Portuno, cf. Vergil. *Aen.* V 235 sq.. Omnino alia vis est sacrificii capri et agnae, de quo Horatius agit *Epod.* X 23.

Cat. *de agric.* 141 *agrum lustrari sic oportet: impera suovetaurilia circumagi e. q. s.* Mactabantur hostiae Marti.

h. Armilustrium, cf. Charis. 81. 20 Keil; *Fast. Praen.* die 19 Mart.; Paul. M 19 L 17 *armilustrium festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac dum sacrificarent tubis canebant;* Varr. *de l. l.* VI 22 *armilustrium .... quod circumibant ludentes ancilibus armati* 1).

i. Lustratio funeris seu decursio. Cassius Dio de funere Augusti agens LVI 42. 2 inter alia haec narrat: *ἐπεὶ δὲ ἐς τὴν πυρὰν τὴν ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ἐνετέθη, πρῶτοι μὲν ἱερεῖς πάντες περιῆλθον αὐτὴν κ. τ. λ.*, cf. Vergilium quoque *Aen.* XI 189

decurrere rogos, ter maestum funeris ignem
lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Non aliter Livius XXV 17. 5 Hannibalem funus decurrentem facit. Veteris quoque Romanae consuetudinis erat parentum funera lustrare, cf. Plut. *Q. R.* XIV *καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν τάφων, ὥς φησιν Βάρρων, περιστρέφονται.*

k. Lustratio cerriti seu larvati. Insanientes a Romanis *cerriti* vel *larvati* nominabantur, quippe quos a Cerere vel a Larvis vexatos existimabant, cf. Non. Marcell. M 44 L 64 *cerriti et larvati, male sani et aut Cereris ira aut larvarum incursatione animo vexati.* Quam definitionem Nonius variis Plauti testimoniis illustrat 2). Circuitione insanientes esse lustratos clare demonstrant haec Plauti verba *Amph.* 776:

---

1) De tubilustrio non constat, utrum mera purgatio fuerit an et circuitio. Ritum enim huius lustrationis plane ignoramus, cf. Wissowa, *R. K.*², 557 n. 3. Otto *Rhein. Mus.*, *N. F.*, LXXI (1916) p. 37 agnam circumactam fuisse suspicit. — Incertus etiam ritus est dierum lustricorum, quibus infantes lustrabantur et nomen accipiebant (Macrob. *Sat.* I 16. 36; Paul. M 120 L 107; Arnob. *adv. nat.* III 4; Plut. *Q. R.* 104; Tertull. *de idol.* 16). Fortasse ut apud Graecos *ἀμφιδρόμια* pars sacri erat. Cf. Otto, *l. l.*, p. 37.

2) Vide insuper Plaut. *Men.* 890 et *Rud.* 1006; Cic. *ad Attic.* VIII 5. 1; Horat. *Sat.* II 3. 278; Suet. *Aug.* 87. 2; Paul. M 54 L 47; Mart. Capell. V 509. *Cerritus* = *δημητρόληπτος*, cf. Walde, *Lat. Etym. Wörterb.*², p. 155.

recte: itast ut obsignavi. — quaeso quin tu istanc iubes
pro cerrita circumferri? — edepol qui facto 'st opus:
nam haec quidem edepol larvarum plenast.

Quibuscum conferas Servium ad Vergil. *Aen.* VI 229 *circumtulit: purgavit; antiquum verbum est. Plautus: 'pro larvato te circumferam', id est, purgabo; nam lustratio a circumlatione dicta est, vel taedae, vel victimae in quibusdam, vel sulphuris.* Ipsa autem insani lustratio generatim fiebat porcis, cf. Plaut. *Men.* 289 sq.

adolescens, quibus hic pretieis porci veniunt
sacres sinceri? — nummeis. — nummum a me accipe:
iube te piari dĕ mea pecunia.
nam equidem insanum esse te certe scio [1]).

Quo tempore vero furiosus lustrabatur, incantationibus simul placandus erat, cf. Fest. M 213 L 232 *piari eos velut proprio verbo, ait Verrius, qui parum sint animati; cum mentis suae non sunt, per quaedam verba liberantur incommodo* [2]).

Lustrationibus igitur quae commemoravi omnibus communis est circuitio. Finem autem huius circuitionis a v e r r u n c a t i o n e m quamdam fuisse, qua depellerentur mala noxia rei lustrandae sive extrinsecus sive intrinsecus adhaerentia, multis probatur testimoniis [3]). Optimum testimo-

---

1) Cf. etiam versum 517 et Varr. *de r. r.* II 4. 16.

2) Utrum igitur *piare insanum* significet primarie *placare insanum* an *lustrare*, dubium est. Compares quae dixi p. 11 et 12.

3) Deubner, *Arch. f. Religionswiss.*, XVI, p. 127 sq. vim circuitionis nimis restringit ad depellenda sola mala e x t e r n a. Iniuria, sicut patet e testimoniis supra in textu allatis. Etiam rusticae illae circuitiones, de quibus Plin. *N. H.* XVII 266 et XXVIII 78, Columell. X 357 et XI 3. 64, Pallad. I 35. 3, e Graecia licet ducant originem, praecipue intendunt liberationem a malis internis, cf. Eitrem, *Opferritus u. Voropfer der Gr. u. Röm.*, p. 14. Illud quoque notandum est a viris doctis non satis distingui *purificationem* et *averruncationem noxiae internae;* prior enim rei est prout maculatae, altera prout intrinsecus periculis obnoxiae. Nonnumquam concurrant licet caeremoniae, tamen distinguendae sunt.

nium ipsum lustrationis carmen est, quod tradit Cato *de agric.* 141: *quoius rei ergo agrum terram fundumque meum suovetaurilia circumagi iussi, uti tu morbos visos invisosque viduertatem vastitudinemque calamitates intemperiasque prohibessis defendas averruncesque.* Quibuscum egregie congruunt versus Tibulli II 1. 17:

di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes;
vos mala de nostris pellite limitibus,
neu seges eludat messem fallacibus herbis,
neu timeat celeres tardior agna lupos.

Vim lustrationis averruncantem bene fragmenta quoque indicant Festi M 210 L 230: *pesestas inter alia, quae si inter precationem dicuntur, cum fundus lustratur, significare videtur pestilentiam, ut intelligi ex caeteris possunt, cum dicitur: 'avertas morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem'.* Eodem modo Appianus *l.l.* quid sibi velit classis lustratio, hisce verbis comprehendit: τὰ ἀπαίσια τραπῆναι. Funerum quoque decursio spectasse videtur noxarum averruncationem, qua pax daretur mortuis.

Lustratio averruncans igitur licet naturaliter nihil aliud sit nisi orbis magicae descriptio, qua mala depellantur, tamen latius paulatim patuit. Sensim enim, quod non est mirandum, averruncans quoque lustratio purificationis significationem induit, ut clare elucet ex verbis Tibulli supra allatis *purgamus agros, purgamus agrestes*, et ex versibus Lucani *Phars.* I 592:

mox iubet et totam pavidis a civibus urbem
ambiri et festo purgantes moenia lustro
longa per extremos pomeria cingere fines
pontifices, sacri quibus est permissa potestas [1]).

Immo, quod maximi momenti est, accidit ut magico huic ritui etiam sacrificia adderentur, seu potius ut religio, quae in deorum cultu sita est, lustrationem averruncantem in suam traheret provinciam. Quo facto lustrationis vis atque natura

1) Vide etiam Vergil. *Aen.* VI 231 et Tibull. I 5. 11, ubi purgatio et circuitio coniunguntur in ipso ritu.

magna ex parte mutata est. Tum enim malorum expulsio, magicae olim adscripta efficientiae circuitionis, numinibus sensim tribui coepta est, sicut verba indicant formulae Cat. *de agric.* 141. 2: *Mars pater... agrum terram fundumque meum suovetaurilia circumagi iussi, ut tu morbos averrunces.* Unde etiam factum est, ut circuitiones agrorum non solum averruncandi, sed etiam placandi vim induerent, ut plane apparet tum ex eodem carmine agri lustrandi, tum ex precibus, quae in lustranda classe fiebant, cf. Cato loco modo allato, *uti sies volens propitius mihi domo familiaeque nostrae* et Liv. XXIX 27. 1 *divi divaeque, qui maria terrasque colitis, vos precor quaesoque, uti quae in meo imperio gesta sunt... bene verruncent, eaque vos omnia bene iuvetis cet.* Quaenam autem causa fuerit, cur lustrationis significatio hoc modo mutaretur, non latet. Etenim si consideres in lustrationibus urbis, exercitus, agrorum Marti factum esse suovetaurilibus; suovetaurilia vero ex lege tam devotionis quam spoliorum opimorum iam inde ab antiquis temporibus Marti propria fuisse et singularia piacula; si attendas preces placatorias agri lustrandi (Cat. *l.l.* 141) omnino congruere cum precibus placatoriis piaculi (Cat. *l.l.* 139); — pronum est inferre, lustrationem averruncantem e ritu mere magico conversam esse in deorum cultum vi et momento piaculi. Eodem autem tempore quo inter se coalescebant magica ars et cultus divinus, vel, quod eodem redit, piaculum et lustrum sese accommodabant alterum ad alterum, — eodem temporis spatio id quoque evenisse puto, ut *piare* a *placandi* notione, per notionem *sanandi* sensim latius emanans, *lustrandi* etiam et *purgandi* vim indueret [1]).

Quare piaculis lustrationibusque averruncantibus attente consideratis, haec statuenda sunt d i s c r i m i n a: Lustratio naturaliter ritus est averruncans mala externa et interna,

---

1) Egregie arcis quoque lustratio in tabulis Iguvinis piaculorum analogiam ostendit (cf. VI A 25 sq.); quin etiam sacrificia, quae in arce lustranda fiebant, *piacula* vocantur. Vis autem vocis *piandi* in tabulis Iguvinis multiplex est, si recte carmina intellego. Vide Bücheler, *Umbrica*, p. 56 et Buck, *Osk. Umbr. Dialekte*, p. 157.

secundo loco purgatorius et placatorius; piaculum natura sua ritus placatorius est. Lustratio naturaliter directe tendit ad rem; piaculum directe ad numina. Lustratio actio simul et passio est; piaculum actio tantum. Lustrationis effectus naturaliter situs est in vi magica; effectus piaculi a bona numinum voluntate dependet. Lustratio inde ab origine sacrificium non continet; piaculum in sacrificio totum continetur. Piaculum vi sua et natura ad cultum deorum pertinet; lustratio in religionem demum accepta est movente piaculo. Lustratione denique sive res sive homo liberatur noxis maculisque; piaculo homo tantum liberatur metu offensae divinae.

Ut iterum ad significationem verborum redeam, aliam igitur vim nativam *piare* habet, cum de piaculo agitur, aliam cum agitur de lustratione. Longe enim inter sese distant *purgari* et *metu liberari*. Quod ad discrimen si bene animum attenderis, sua claritate non carent ea, quae Servius annotavit ad Vergil. *Aen.* III 279 *lustramurque Iovi*, quibus verbis piaculum a Vergilio significari ob sacra antea in Thracia commissa grammaticus existimat: *'lustramur Iovi' : aut 'lustramur', id est purgamur, ut Iovi sacra faciamus ... aut certe 'lustramur Iovi', id est expiamur. piaculum enim commissum fuerat, tauro in Thracia immolato ... et licet multa fuissent secuta sacrificia, intellegebatur tamen adhuc numen iratum, non desinentibus malis ... ergo quoniam non ad iustum sacrificium Iovem invocaverint, ideo illi piaculum solvunt: hoc enim est 'diis lustrari', offensa eorum liberari.* Haud ingratum est observare, qua ratione Servius notiones *piandi* et *lustrandi*, distinctas inter se, incolumes servare studeat. Nam et Servium recte diiudicasse piacula et lustrationes verba allata plane ostendunt. Ideo cum sacrificia, de quibus agit Vergilius III 279, p i a c u l a fuisse existimet, *lustrandi* vocem haud iniuria miratur. Sed callide et sollerter solvit difficultatem, fingens deorum iram non aliter hominum mentibus inhaerentem atque malam noxam vel maculam.

4. DE PROCURATIONUM ET PIACULORUM DISCRIMINE.

In explicanda hostia praecidanea multis ac variis testimoniis

demonstravi (cf. p. 75 et 76), a Romanis prodigia eaque omnia, quae prodigiorum loco haberentur, pestilentias dico, famem, intemperiem, inundationes cetera tributa esse dis deabusque o b s a c r a c o m m i s s a o f f e n s i s. Quare gravissima causa, cur in procurandis prodigiis plurimum valuerint haruspices, ea est, quod Etruscae disciplinae periti mira sagacitate divinare credebantur, q u a e n a m o b s a c r a c o m m i s s a deorum i r a e r u p i s s e t. Cum igitur procurationum causa haud multum differat a causa piaculorum, facile intelligitur magnam intercedere inter ritus utrosque similitudinem. Sed et Romanos ipsos generatim procurationibus prodigiorum vim tribuisse placatoriam multi veterum loci indicant, cum aliorum tum praecipue Livii; quae testimonia breviter commemorabo.

Liv. IV 9. 3 *fames morbive quaeque alia in deum iras velut ultima publicorum malorum vertunt*, IV 25. 3 *multa decemviri ex libris placandae deum irae avertendaeque . . . pestis causa fecere*, IV 30. 10 *insolita piacula pacis deum exposcendae*, V 13. 6 *deos . . . placaverunt*, V 14. 4 *ira deum, quos pestis eius arcendae causa placandos esse . . . inventum*, V 17. 1 (*vatem*) *adhibere . . . ad prodigii Albani procurationem ac deos rite placandos coepere*, VII 2. 2 *pacis deum exposcendae . . . caelestis irae placamina*, VII 3. 2 *dis aspernantibus placamina irae*, VIII 6. 11 *placuit averruncandae deum irae victimas caedi*, XXII 2. 1 *dum consul placandis dis . . . dat operam*, XXII 57. 5—7 *quibus . . . deos possent placare . . . placatis satis*, XXVII 37. 8 *dono divam placandam esse*, XXVII 38. 1 *deis rite placatis*, XXXVI 37. 6 *placatis diis . . . prodigiis expiandis;* XL 37. 2 *piacula irae deum*. Tacitus Ann. XV 44. 2 de prodigiis procurandis agens utraque *piaculi* et *placamenti* voce promiscue utitur. Quae omnia egregie confirmant ea, quae in huius disputationis capite primo explicavi: vocibus *piandi piaculi piacularis*, cum de prodigiis agitur procurandis, vim inesse ac significationem *placandi*, *placaminis*, *placatorii*; atque locutionem eam *expiare prodigia* idem valere ac *placare iram deorum prodigiis significatam*.

Sed quamquam piaculis et procurationibus communis est

ratio placatoria, quamquam et piacula et procurationes fiunt ob sacra absque dolo malo commissa [1]), magno tamen separantur discrimine. Nam piacula immolantur ob sacra animadversa vel saltem aliquomodo praevisa nullo deorum signo cogente; prodigia procurantur ob sacra ignota vel oblivia dis ipsis iratis admonentibus. Si autem verum est, *piaculum* nativa vi nil aliud valere nisi *placamen deorum*, sequitur ut tum piacula ea, in quibus tota nostra versatur disputatio, tum procurationes prodigiorum dicendae sint *species* unius eiusdemque *generis* piaculi. Verum id quod saepius accidere solet, id etiam hic accidit: altera species nomen generale *piaculi* sibi proprium vindicavit atque κατ' ἐξοχήν *piaculum* nominata est; alteri vero speciei paulatim nomen speciale *procurationis* est inditum. Sed, quod facile intelligitur, licet in expiandis prodigiis *procurationis* nomen publice sit acceptum (cf. senatusconsultum relatum a Gellio *N. A.* IV 6. 2), tamen in hac quoque re voces *piare piaculum piacularis* numquam in usu esse desierunt. Formulae vero publicae *hostiis procurare prodigia* vis ea mihi inesse videtur: *faciendis hostiis providere, ne ira deorum prodigiis significata magis exardescat atque efficere uti placetur.*

Quod ad ritus spectat atque solemnia, constat procurationes magnopere auctas atque mutatas esse, incitantibus tam Etruscorum quam Graecorum caeremoniis. Qui vero ritus in procurandis prodigiis restabant mere Romani [2]), haud raro arctissime congruunt cum ritibus placatoriis piaculi. Quaedam autem procurationes sunt omnino sui generis.

a. Non aliter ac in sacrificio piaculari, saepe mactabantur hostiae et lactentes et maiores. Hostias maiores prae ceteris esse mactatas non est quod miremur [3]). Nam prodigiis ira deorum vehementius apparere credebatur.

---

1) Nam etsi nonnumquam prodigia fiebant ob sacra a magistratu dolo malo commissa, tamen ipsa res publica imprudenter absque dolo malo deliquisse ducebatur, cf. p. 87 sq..

2) Cf. Wülker, *die geschichtliche Entwicklung des Prodigienwesens*, p. 39 sq..

3) Cf. Wülker, *l. l.*, p. 44; Luterbacher, *der Prodigienglaube und Prodigienstil der Römer*, p. 55.

b. Facto terrae motu Telluri[1]) sue plena fieri solebat, ut auctor est Cicero *de div.* I 101 *cum terrae motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret.* Sus autem gravida Telluri placamen proprium est, cf. Arnob. *adv. nat.* VII 22 et Ovid. *Fast.* I 671 sq.. Teste Gellio *N. A.* II 28. 2 insuper feriae erant servandae, quam feriorum observantiam piacularem quoque vim habuisse iam ante demonstravi, cf. p. 42 sq..

c. Lectisternii instaurationem pro procuratione refert Livius XL 59. 8; ludorum vero instaurationem, de qua agit loco allato § 6, eandem vim habuisse iure suspexeris.

d. Cum locus de coelo tactus erat, fulgur condebatur, id est, abscondebantur infra terram *fulmina transfigurata in lapides,* cf. schol. ad Pers. *Sat.* II 27. Locus autem fulguritus includebatur puteali, qui vocabatur: *fulgur conditum*[2]). In condendo vero fulgure sacrificabatur Iovi Elicio maenis et caepis et capillis; quod sacrum a Romanis Iovis placatio habebatur, ut plane elucet ex verbis Ovidii *Fast.* III 289:

cui dea: 'ne nimium terrere! piabile fulmen
est', ait, 'et saevi flectitur ira Iovis'.

Nec dubito, quin vis nativa huius sacri ab inferiarum natura haud multum discrepaverit. Etenim saepe ab antiquis umbrae placabantur capillis; maenae teste Ovidio *Fast.* II 578 feralibus quoque dono dabantur deae Tacitae; caepae lacrimosae non aliter ac sopifera papaveris capita gratae erant Maniae matri Larum[3]), cf. Macrob. *Sat.* I 7. 35. Notandum est, tam maenas quam caepas cibum fuisse plebi vulgarissimum[4]);

1) Cf. Roscher, *M. L.,* V 338 *i. v.* Tellus (Wissowa).

2) Cf. Wülker, *l. l.,* p. 41. De maenis caepis capillis vide etiam Ovid. *Fast.* III 339 sq., Arnob. *adv. nat.* V 1; Plut. *Num.* 15.

3) Cf. Eitrem, *Opferritus und Voropfer der Gr. u. Röm.,* p. 370 sq..

4) De maenis cf. Cic. *de fin.* II 91 *dicere se acipenserem maenae non anteponere;* Ovid. *Hal.* 120 *fecundum genus maenae;* Plin. *N. H.* IX 81, XXXI 83, XXXII 88—149 passim. De caepis cf. Plin. *l. l.* XIX 101—108.

quare sacrificia fulguris conditi mire congruunt cum sacrificiis iis piacularibus incruentis, quas originem duxisse e culina antea commemoravi.

e. Cum nuntiatum erat e coelo lapidibus pluisse, feriae per novem dies agebantur, teste Livio I 31, totaque caeremonia novemdiale sacrum vocabatur. Cuius sacri ratio haec est, ni fallor. Prodigiis factis, ipsa portenta aliquomodo delenda vel exstinguenda erant. Monstra interficiebantur, mergebantur androgyni; bubones comburebantur, condebantur fulguris reliquiae [1]). Quare lapidibus cum pluverat, lapides esse conditos a vero haud longe aberit. Ex altera parte vero Romanis consuetudo erat, ut sepultura hominis peracta per novem dies servarent ferias, die autem nono sacrificium mortuo facerent, quod *novemdiale* vocabant [2]), cf. August. *in Gen.* I 283 *nescio utrum inveniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos 'novemdial' appellant* et Porphyr. ad Hor. *Epod.* XVII 48 *novemdiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nona die qua sepultus est.* Novemdiale, igitur, cum lapidibus pluvisset, factum esse analogia novemdialis sacri sepulturae peractae, haud incredibile erit. Quod si numen quaeris, cui novemdiale sacrum fiebat, Telluri hostia factum esse existimo. Etenim Tellus placatur tum in cultu manium, tum terrae motu nuntiato.

f. Inter varias procurationes lustratio quoque traditur. Cuius vis nativa eadem est quae lustrationibus omnibus inest, averruncationis dico. Quod haud difficile probatur. Etenim lustrationes tum praecipue fiebant, cum lupi vel bubones, (funebres aves, ut testatur Plinius *N. H.* X 34) apparuerant [3]). Paulatim vero in procurandis prodigiis lustratio significationem suam nativam amisit et sensim sensimque caeremonia facta est mere placatoria, quae magnis factis prodigiis procurationis loco haud raro iubebatur.

g. Ad prodigiorum procurationes etiam somniorum

---

1) Cf. Wülker, *l. l.*, p. 39.
2) Cf. De Marchi, *Il culto privato,* p. 197.
3) Cf. Wülker, *l. l.*, p. 39 et 40.

pertinent piacula. Erant cum publica tum praecipue privata. In utraque re vero sacra placatoria erant. De procurationibus publicis vide Liv. VIII 6. 11 *hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt, placuit averruncandae deum irae victimas caedi,* et Val. Max. I 7. 3 *luce proxima* (*somnium*) *consulibus sacrificio . . . expiaturis.* Procurationes vero privatae generatim fiebant mola salsa et ture, cf. Plaut. *Amph.* 739

sed mulier, postquam experrecta's, te prodigiali Iovi
aut mola salsa hodie aut ture comprecatam oportuit;

Vergil. *Aen.* V 745

farre pio et plena supplex veneratur acerra;

Tibull. I 5. 13

ipse procuravi, ne possent saeva nocere
somnia ter sancta deveneranda mola;

Id. III 4. 8

et natum in curas hominum genus, omina noctis,
farre pio placant et saliente sale;

Martial. VII 54. 5

consumpsi salsasque molas et turis acervos.

Nonnumquam vero hostiae quoque commemorantur, cf. Sil. Ital. VIII 119, *trahebam,* inquit

ipsa manu properans ad visa pianda bidentes;

Senec. *Oct.* 757

caesis litare victimis numen deum,
ut expientur noctis et somni minae;

Martial. VII 54. 6

decrevere greges, dum cadit agna frequens.
non porcus, non chortis aves, non ova supersunt;
aut vigila aut dormi, Nasidiane, tibi.

Suet. *Oth.* 7. 5 *dicitur . . . per omnia piaculorum genera manes Galbae, a quo* (*somniis*) *deturbari expellique se viderat, propitiare temptasse.*

Fiebant autem somniorum procurationes aut Iovi prodigiali (cf. Plaut. *l. l.*), aut manibus eius qui somnio visus erat (cf. Suet. *l. l.*), aut Penatibus (cf. Vergil. *Aen.* V 744, ubi sacrificium fit Lari et Vestae) [1]).

CONCLUSIO.

Exposita iam natura atque origine lustrationum procurationum piaculorum, enucleato quid inter ea intercedat discriminis, ipsas horum rituum essentias, non solum quales ab initio fuerint, sed etiam quales factae sint labentibus saeculis, definire iuvabit.

Piaculum est sacrum, quo Romani ob aliquam iuris divini laesionem vel rituum neglegentiam, absque dolo malo sive faciendam sive factam et animadversam, divinas iras extimescentes, iram deorum placant deprecanturque et pacem eorum expostulant.

Lustratio purgatoria est purificatio a maculis exterioribus, plerumque purificationem aut legalem aut moralem internam significans, perficienda tactu materiae, cui inest vis purgatoria aut realis aut magica.

Lustratio averruncans caeremonia est, qua circuitione naturaliter magica homines et res a malis cum externis cum internis liberantur et a maculis purgantur auxilio deorum, quorum pax — haud raro hostiis — exposcitur et venia.

Procuratio prodigiorum est sacrum, quo Romani deprecantur iram deorum, ob iuris divini laesiones rituumque vitia per prodigia manifestatam, pacemque eorum et veniam variis ritibus expostulant.

---

1) Vide etiam Petron. *Sat.* 104; Fest. M 213 L 232; et quae antea diximus p. 14 sq.. De lustratione post somnium habitum cf. Ovid. *Ars Am.* II 329.

OPERIS CONCLUSIO.

Huic de Romanorum piaculis disputationi finem iam facturus corollarii loco adnotationes et conclusiones aliquot addere velim, quae cum materia tractata arcte cohaerent.

In ethnicorum primitivorumque, quos vocant, cultu ritibusque duo diversa prorsus inter se caeremoniarum genera distinguamus oportet, m a g i c a s dico et r e l i g i o s a s. Nam religiosae caeremoniae agnitionem semper manifestant numinis supremi, quod precibus sacrificiisque homo suae fragilitatis haud immemor, adorat colit placat deprecatur; magia vero supremo numini nequaquam subiecta, immo saepissime adversa atque contraria, viribus occultis adhibitis cum certitudine quadam absoluta ea efficere conatur, quae vires naturae omnino transcendunt quaeque morali precum efficientia homines a moderatore supremo impetrari posse non credunt [1]. Multiplici autem et vario errore homines et in agnitione et in cultu supremi numinis a recta ratione et humanae naturae dignitate deflexerunt, in quibus tum agnoscendi tum colendi erroribus superstitio posita est, quae ut flos parasitus in ipsa religione radicatur; deformata enim religio est superstitio.

Quae cum ita sint, magia et religio omnino inter se contrariae sunt. Quae mutua repugnantia, ex ipsa rerum natura nata, non exorta est decursu temporum, sed iam inde ab initio valuit. Ideo fieri non potest, ut religio e magico cultu effloruerit. Recte igitur Schrijnen [2]: „*Hoe laag het peil der*

---

1) Cf. Schmidt, *der Ursprung der Gottesidee*, p. 438 sq.; Le Roy, *la religion des primitifs*, p. 328 sq.; Lagrange, *religions sémitiques*, p. 14.

2) Schrijnen, *Essays en Studien in vergelijkende Godsdienstgeschiedenis, Mythologie en Folklore*, p. 132.

religie ook staan moge, zij is en blijft het souvereine goed des menschen. En is het waar, dat elke oorzaak evenredig zijn moet aan hare gevolgen, dan kan magie noch tooverij ooit godsdienst hebben geteeld."

Sed quamquam religio et magia naturaliter maxime inter se distinctae sunt et distinguendae, tamen utriusque ritus caeremoniaeque exteriores non semper magnis intervallis distabant, quin etiam saepe coaluerunt inter se et mixtae sunt. Saepe religio ethnicorum ritus magicos in suam trahebat provinciam, sed ipso hoc facto mutabatur id quod magica caeremonia significabatur. Cuius confusionis exemplum singulare apud Romanos habes in piaculis et lustrationibus averruncantibus. Quod factum in religionum historia memorabile, ex iis quae disputavimus, manifesto apparuisse satis magni momenti esse dixerim.

Ut ad aliud transeam quod dignum consideratione duco; piaculorum ratione atque natura bene perspecta, hominum Romanorum quae pravi atque honesti conscientia atque aestimatio fuerit, facile intelligitur. Nam etsi ipso piaculo non fiebat ob verum peccatum sensu theologico, tamen iuris sacri violationes eae quae ob dolum malum inexpiabiles censebantur, clare ostendunt Romanos id quoque agnovisse quod nos vulgo peccatum vocamus, veramque conscientiae obligationem [1]). Mirum autem est id quod accidit: quamquam piacula Romanorum animos demonstrant sat anxios, scrupulosos et nimium diligentes, dura tamen illa inexpiabilis sceleris lex etiam dissolutionis et mollitiae causa et origo exstitit. Nam impietatis metus et

---

1) Minus recte igitur Leopold, *De ontwikkeling van het heidendom in Rome*, p. 51: *„de Latijnen beschouwden het handhaven van de goede betrekkingen met de goden als een deel van de taak der overheden, de Sabijnen meenden, dat de 'pater familias' de aangewezen middelaar was; maar geen van beiden kende een ander „zonde"-bewustzijn dan den angst onwillekeurig of met opzet fouten of verzuimen te hebben begaan bij de naleving der voorschriften van het ritueel."* At quid si dolo malo hominem occiderant, fefellerant, templa spoliaverant, incesti crimen commiserant, sepulcra violaverant?

culpae inexpiabilis multos impulit, ut malefactis deverticula quaererent, quibus a lege divina servanda excusarentur [1]). Unde cum scelera et flagitia multa impunita manerent, vitia vero haud pauca mere ritualia piaculo luerentur, paulatim religio vera et conscientia honesti periit, nec quidquam remanebat, ut Tulli verbis utar, nisi species fictae simulationis. Qua simulatione Romani prae ceteris in re publica gerenda usi sunt; saepe enim mirum in modum coniunxerunt speciem religionis cum nequitia et perfidia singulari. Quod et hodie saepe in hominibus singulis videmus, id apud Romanos videre est in toto populo: conscientiam obtusam simul et scrupulosam. Sed eadem dissolutio in privata quoque Romanorum vita observanda; quod egregie demonstrant argutae illae disputationes [2]), quibus quaerebant quid feriatis diebus facere liceret. Nam quamquam feriarum ratio iure divino haec erat, ut homines ab opere abstinentes, speciali modo numinibus dicati, diligentius quam alias deos colerent, Cato in feriis observandis cautissimus castissimusque, villicum alloquens hoc modo ius sacrum feriarum interpretatur, *de agric.* II 4: *per ferias potuisse fossas veteres detergri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari, expinsi far, munditias fieri.* Quare malum patrem familias Cato dicebat [3]), qui interdiu faceret, quod noctu facere posset; peiorem vero qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet! Castissimam sane et lucrosissimam feriarum observationem!

Sic religio Romana paulatim evanescens vim vitalem amisit. Quanto detrimento haec depravatio fuerit populo Romano in promptu est. Nam quamdiu homines cohibebantur auctoritatis cum religiosae tum civilis metu ac reverentia, species saltem virtutis atque honestatis manebat; sed cum re publica civili perturbatione convulsa et paene

1) Cf. Cic. *de off.* III 106 sq..

2) Cf. Cat. *de agr.* 132 et 138; Columell. II 22. 5 et XI 1. 20; Varr. *de l. l.* VI 29; Macrob. *Sat.* I 15. 21 et 16. 9–19; Gell. *N. A.* II 28. 3; Serv. ad Vergil. *Georg.* I 268–270; Fest. M 253 L 298; Plin. *N. H.* XVIII 40.

3) Cf. Plin. *N. H.* XVIII 40.

labefactata ipsa haec auctoritatis ruebat reverentia, religio illa Romana, quae olim castitatem coniugalem alebat virtutesque vere viriles, officii studium, pietatem, verecundiam, amorem patriae [1]), exstincta fere iacebat in ritibus quibusdam inanibus superstitionibusque vilissimis, vitam trahens intermortuam [2]).

Illud quoque commemorandum censeo antiquae religionis ritus exteriores vix ulla re magis quam piaculorum usu et frequentia esse conservatos. Nam prae ceteris piaculo efficiebatur, ut ritus antiqui puri manerent atque incolumes. Nihil mirum igitur, quod Caesarum temporibus, ut testantur acta Arvalium, cum universa religio diligentissime instauraretur, antiqua piaculorum quoque frequentia increvit. Accedit, quod piaculis sacerdotum collegium plurimum valebat apud populum, cum piaculorum indictione et interpretatione publicam quandam iurisdictionem ut ita dicam in foro interno conscientiae exercerent; sed ea auctoritas paulatim decrevit, magis magisque valente disciplina Etrusca haruspicum.

Hoc denique tota hac disputatione clare apparet, ius sacrum Romanorum cum alias tum in piaculis mira quadam constantia ac congruentia excellere; in singulis autem praeceptis legibusque rectae rationi saepissime magnopere adversari. Nam omnia inter se optime cohaerent et congruunt; sed si varia piaculorum genera ad sanae rationis normam exiguntur, perplura apparent stulta et inania, quippe quae tantum insanae cuiusdam δεισιδαιμονίας radicibus nituntur. Ex altera parte cum religio Romana Stoico quodam rigore

---

1) Cf. Tertull. *Apol.* 25 *frugi religio*; Karsten, *De Godsdienst der Romeinen*, p. 18.

2) Cf. Martindale, *the religion of early Rome*, p. 31. Leopold, *De ontwikkeling van het heidendom in Rome,* p. 51, haec habet: „*Het zou niet moeilijk geweest zijn in de leege vormelijkheid van de godsdienstige erfenis der vaderen moreelen inhoud te leggen.*" Contra: cum religio magis atque magis inanibus formulis continebatur, antiqua conscientia pravi atque honesti paulatim periit.

negaret scelus ullum a volente et sciente commissum posse expiari, ingenti illud veniae et salutis desiderio, miserrimo humano generi semper et ubique ingenerato, satisfacere nequaquam potuit. Ergo Romana religio nec rationi humanae satis congruit neque animi dolores curasque sedavit. Ideo arma quidem Romana totum orbem terrarum pacaverunt; imperium Romanum multis gentibus prosperitatem attulit atque humanitatem; ius Romanum imperio ipso superstes apud cultissimos populos per multa saecula valuit hodieque doctissimorum hominum laudibus celebratur; at religio Romana vel ante imperium exstinctum sua ipsius sterilitate interiit neque umquam revixit. Religio Romana universi orbis religio nec fuit neque potuit esse.

CONSPECTUS LIBRORUM.

G. Blecher, De extispicio capita tria = Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten, 2 Band, Giessen 1903—1905.

A. Bouché-Leclercq, Les Pontifes de l'ancienne Rome, Diss. Paris 1871.

A. Bouché-Leclercq, Litatio = Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités grecques et romaines, III, p. 1266 sq..

A. Bouché-Leclercq, Lustratio = Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités grecques et romaines, III, p. 1405 sq..

C. Bruns, Fontes iuris Romani antiqui, editio sexta cura Th. Mommseni et O. Gradenwitz, Friburgi et Lipsiae 1893.

Fr. Bücheler, Umbrica, Bonnae 1883.

C. Buck, Elementarbuch der oskisch-umbrischen Dialekte = Sammlung indogermanischer Lehrbücher, 1 Reihe, 7 Band, Heidelberg 1905.

H. Danz, Der sacrale Schutz im römischen Rechtsverkehr, Jena 1857.

A. De-Marchi, Il culto privato di Roma antica, I. La religione nella vita domestica, Milano 1896.

H. Dessau, Inscriptiones Latinae Selectae, 3 vol., Berolini 1892—1916.

L. Deubner, Lustrum = Archiv für Religionswissenschaft, XVI, p. 127 sq., 1913.

H. Diels, Sibyllinische Blätter, Berlin 1890.

A. Dieterich, Mutter Erde, ein Versuch über Volksreligion, zweite Auflage, Leipzig-Berlin 1913.

S. Eitrem, Opferritus und Voropfer der Griechen und Römer, Kristiania 1915 = Videnskapsselskapets Skrifter. II. Hist.-Filos. Klasse. 1914. No. 1.

P. E n k, Ad Propertii carmina commentarius criticus, Diss. Lugd. Bat., Zutphaniae 1911.

J. F r a z e r, The golden bough, a study of magic and religion; Part. I. The magic art and the evolution of kings, London 1911; Part. II. Taboo and the perils of the soul, London 1911.

W. G e m o l l, Die Realien bei Horaz; Heft 4, das Sakralwesen, Berlin 1892.

O. G r u p p e, Griechische Mythologie und Religionsgeschichte, 2 Bände = Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft, fünfter Band, 2. Abteilung, München 1906.

W. H e l b i g, Die Italiker in der Poebene, Leipzig, 1879.

G. H e n z e n, Acta fratrum Arvalium quae supersunt, Berolini 1874.

G. H e n z e n, Acta Collegii fratrum Arvalium = C. I. L. VI 2023—2119, Berolini 1876.

G. H e r t z b e r g, De spoliis opimis quaestio = Philologus I, p. 331 sq., 1846.

H. H u b e r t et M. M a u s s, Esquisse d'une théorie générale de la magie = Année Sociologique 1902—1903, p. 1 sq., Paris 1904.

E. H u l a und E. B o r m a n n, Arch.-Epigr. Mitteilungen aus Oesterreich, XVII, p. 67 sq., 1894.

Chr. H ü l s e n, Additamenta ad acta Arvalium = Ephem. Epigr., VIII, p. 316 sq., 1899.

H. J o r d a n, Topographie der Stadt Rom im Altertum, I 1, Berlin 1878.

H. K a r s t e n, De Godsdienst der Romeinen, Rede op den dies natalis der Amsterdamsche Universiteit, Amsterdam 1909.

M. K o b b e r t, de verborum „religio" atque „religiosus" usu apud Romanos, Diss. Regimonti 1910.

C. K r a u s e, de Romanorum hostiis quaestiones selectae, diss. Marpurgi Cattorum, 1894.

A. L a n g, The making of religion, 2 edit., London 1900.

L. L a n g e, De consecratione capitis et bonorum, Gissae 1867.

M. Lagrange, Etudes sur les religions Sémitiques, Paris 1903.

E. von Lasaulx, Die Sühnopfer der Griechen und Römer und ihr Verhältnis zu dem einen auf Golgotha = Studien des classischen Alterthums, p. 233—282, Regensburg 1854.

Latte, Immolatio = Pauly-Wissowa, Realencyclopädie der klass. Altertumswissenschaft, XVII, p. 1112 sq., 1914.

H. Leopold, De ontwikkeling van het heidendom in Rome, Rotterdam 1918.

A. Le Roy, La religion des Primitifs, Paris 1909.

A. Le Roy, The religions of primitive races = Lectures on the History of Religions, volume V, London 1911.

J. Lomeier, De lustratione, edit. sec., Zutphaniae 1700.

E. Lübbert, Commentationes pontificales, Berolini 1859.

Fr. Luterbacher, Der Prodigienglaube und Prodigienstil der Römer, Burgdorf 1904.

J. Marquardt, Römische Staatsverwaltung, dritter Band, das Sacralwesen = Marquardt-Mommsen, Handbuch der Römischen Alterthümer, Band VI, zweite Auflage von G. Wissowa, Leipzig 1885.

C. Martindale, The religion of early Rome = Lectures on the History of Religions, volume II, London 1910.

Th. Mommsen, Gesammelte Schriften, Berlin 1905 sq..

Th. Mommsen, Römische Forschungen, Band II, Berlin 1879.

Th. Mommsen, Römisches Strafrecht, Leipzig 1899.

R. Mulder, De notione conscientiae, quae et qualis fuerit Romanis, Diss. Univ. Lib. Reform. Amstelod., Lugd. Bat. 1908.

G. Nieupoort, Rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, succincta explicatio, editio quinta curante Reizio, Traiecti ad Rhenum, 1747.

E. Norden, P. Vergilius Maro Aeneis Buch VI, Leipzig 1903.

H. Oldenberg, De sacris fratrum Arvalium quaestiones. Diss. Berolini 1875.

W. Otto, Religio und Superstitio = Archiv für Religionswissenschaft XII, p. 533 sq. et XIV, p. 406 sq., 1904 et 1911.

W. Otto, Lustrum = Rheinisches Museum für Philologie N. F. LXI, p. 17 sq., 1916.

W. Otto, Mania und Lares = Archiv für lateinische Lexicographie, XV, p. 118 sq., 1906.

L. Preller, Römische Mythologie, dritte Auflage von H. Jordan, 2 Bände, Berlin 1881 u. 1883.

W. Rist, Die Opfer des römischen Heeres, Diss. Tübingen 1920.

F. Ritschl, Parerga zu Plautus und Terenz, Leipzig 1845.

W. Robertson Smith, Lectures on the Religion of the Semites, new edition, London 1907.

E. Rohde, Psyche, Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen, 2 Bände, vierte Auflage, Tübingen 1907.

W. Roscher, Ausführliches Lexikon der griechischen und römischen Mythologie, Leipzig, 1884 sq.

A. Rossbach, Untersuchungen über die römische Ehe, Stuttgart 1853.

G. Rowoldt, Librorum pontificiorum Romanorum de caerimoniis sacrificiorum reliquiae, Diss. Halis Sax. 1906.

E. Samter, Der pileus der römischen Priester und Freigelassenen = Philologus LIII, p. 537 sq., 1894.

E. Samter, Der Ursprung des Larenkultes = Archiv für Religionswissenschaft X, p. 368 sq., 1907.

J. Saubertus, De sacrificiis veterum conlectanea historico-philologica et miscella critica. Recensuit, emendavit Th. Crenius, Lugduni Batavorum 1699.

P. Schmidt, Der Ursprung der Gottesidee, I. Historisch-kritischer Teil, Münster i. W. 1912.

J. Schrijnen, Essays en Studiën in de vergelijkende Godsdienstgeschiedenis, Mythologie en Folklore, Venloo 1910.

Fr. Schwenn, Die Menschenopfer bei den Griechen und Römern, Giessen 1915.

P. Stengel, Opferbräuche der Griechen, Berlin—Leipzig 1910.

S. Thomas Aquinas, Opera omnia, XII Tom., Romae 1882—1906.

A. Thomson, Der Trug des Prometheus = Archiv für Religionswissenschaft, XII, p. 460, 1909.

C. Thulin, Die etruskische Disciplin, 3 Bände, Göteborg 1906, 1908, 1909 = Göteb. Högsk. Årsskr. XI 5, XII 1, XIV 1.

J. Toutain, Piaculum = Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités grecques et romaines, IV, p. 454 sq..

J. Toutain, Sacrificium = Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités grecques et romaines, IV, p. 973 sq..

M. Voigt, Ueber die Leges Regiae = Abhandlungen der Königl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften, Phil.-Hist. Classe, VII p. 557 sq., 1879.

A. Walde, Lateinisches etymologisches Wörterbuch, 2. Auflage, Heidelberg 1910.

W. Warde Fowler, The religious experience of the Roman people, London 1911.

Chr. Werner, De feriis Latinis, Diss. Lipsiae 1888.

G. Wissowa, Die Anfänge des römischen Larenkultus = Archiv für Religionswissenschaft, VII p. 42, 1904.

G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer = Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft, fünfter Band, vierte Abteilung, zweite Auflage, München 1912.

L. Wülker, Die geschichtliche Entwicklung des Prodigienwesens bei den Römern, Diss. Leipzig 1903.

INDEX CAPITUM.

THESES.

I.

Thucyd. II 44. 1 cum codicibus legendum: τὸ δ' εὐτυχές, οἳ ἂν τῆς εὐπρεπεστάτης λάχωσιν, ὥσπερ οἵδε μὲν νῦν τελευτῆς, ὑμεῖς δὲ λύπης, καὶ οἷς ἐνευδαιμονῆσαί τε ὁ βίος ὁμοίως καὶ ἐντελευτῆσαι ξυνεμετρήθη. Iniuria Classen-Steup, fünfte Aufl.: .... καὶ ὀλίγοις ἐνευδαιμονῆσαί τε ὁ βίος ὁμοίως καὶ ἐνταλαιπωρῆσαι ξυνεμετρήθη.

II.

Plat. *Phaedr.* c. 20, p. 242 B recte codices: ἡνίκ' ἔμελλον, ὦ 'γαθέ, τὸν ποταμὸν διαβαίνειν, τὸ δαιμόνιόν τε καὶ τὸ εἰωθὸς σημεῖόν μοι γίγνεσθαι ἐγένετο. Iniuria v. Wilamowitz-Moellendorff, *Platon*, 2. Band, p. 362 „τὸ δαιμόνιόν τε καὶ" delet.

III.

Sophoclis tragoedia, quae vocatur *Oedipus Rex*, scripta est intra annos a. Chr. n. 431 et 425.

IV.

Jacobi *Epist.* IV 5 legendum et interpungendum: ἢ δοκεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει; πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ κατῴκισεν ἐν ἡμῖν· μείζονα δὲ δίδωσιν χάριν· διὸ λέγει· „ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσιν χάριν".

V.

Non minus *φανερά* quam *ἀφανής οὐσία* apud Athenienses pecuniam includit.

VI.

Religio derivanda est a verbo *relegendi.*

VII.

Oportet = opus *hortet.

VIII.

Hieron. *Epist.* CVII *ad Laetam de institutione filiae* 1. 2 legendum: *quis hoc crederet, ut Albini pontificis neptis de repromissione martyris nasceretur, ut praesente et gaudente avo parvulae adhuc lingua balbuttiens alleluia resonaret et virginem Christi in suo gremio nutriret et senex?* Iniuria Hilberg, *Corp. Script. Eccl. Lat.* LV, p. 291 loco *martyris* scribit *matris.*

IX.

Lucret. V 999 sq. legendum:

at non multa virum sub signis milia ducta
una dies dabat exitio nec turbida ponti
aequora lidebant navis ad saxa virosque.
nam temere incassum frustra mare saepe coortum
saevibat leviterque minas ponebat inanis,
nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
subdola pellicere in fraudem ridentibus undis;
improba navigium ratio tum caeca iacebat.

Nec ulla est ratio cur versus ultimus expungatur.

X.

Iniuria contendit Bouché-Leclercq (Daremberg-Saglio III p. 1405) nativam significationem *piaculi* esse *purificationis symbolicae.*

XI.

Cato *de agric.* 140 legendum: *si fodere voles, altero piaculo eodem modo facito, hoc amplius dicito operis faciundi causa ....; dum opus, cotidie per partes facito.* Verba *operis faciundi causa* non sunt pars carminis alicuius religiosi; verum post verba *operis faciundi causa* preces quaedam exciderunt.

XII.

Piacula ferri inferendi et ferri elati, quae commemorantur in actis fr. Arvalium anni 130 (cf. *C. I. L.* VI 2083 = XV 1436 et Henzen, *Act. fr. Arval.*, p. CLXV), facta sunt VIIII K. Maias et XIIII K. Iunias. Haud recte Henzen: *VIIII K. Martias et XIIII K. Apriles.*

XIII.

Piacula rustica luci conlucandi, Arvalium piacula luci coinquendi, ferri inferendi et elati, aliaque minora non sunt lustrationes purgatoriae habenda, sed sacrificia placatoria.

XIV.

Spolia opima, de quibus agitur in lege Numae Pompili (Fest. M 189 L 204), omnino distinguenda sunt a spoliis opimis eis, quae commemorat Livius I 10, IV 20, per. XX.

XV.

Ex fragmento Papiae apud Euseb. *H. E.* III 39. 3 patet Papiam auditorem fuisse Iohannis apostoli.

XVI.

Expeditio a Nerone ultimo vitae anno praeparata, quae ad *Caspias portas* tendere vulgo dicebatur, non spectabat Albanos et mare Caspium, neque etiam Parthos, sed Alanos atque Sarmatas.

XVII.

Ea expeditione omnem Pontum Euxinum in potestatem populi Romani redigere volebat.

XVIII.

νηός de quo agitur Hom. *Il.* VI 297, non tantum continebat statuam Minervae, sed etiam secundum poetae mentem habendus est domicilium ipsius deae.

XIX.

Doctrina Marii Victorini praedicantis Deum *ὄντα*, *μὴ ὄντα*, *πρόοντα*, *ὑπέροντα* et quadruplex *μὴ ὄν*, iam in germine continet theoriam conceptus entis analogi.